DE ARISTOTELIS POLITICORUM LIBRIS DISSERTATIO,

QUAM

SCRIPSIT

ET

AD SUMMOS IN PHILOSOPHIA HONORES AB AMPLISSIMO PHILOSOPHORUM IN ACADEMIA RHENANA ORDINE RITE IMPETRANDOS

UNA CUM THEMATIS

DIE XV. MENSIS IANUARII A. CIↃIↃCCCLI

PUBLICE DEFENDET

IOANNES PETRUS NICKES

RHENANUS.

ADVERSARIORUM PARTES SUSCIPIENT

IOSEPHUS KRAUSS, PH. DR.
FRANCISCUS PAULY, SEM. PHIL. SENIOR.
IOANNES MATHIAS WATTERICH, PRESB. TREV. STUD. PHIL.

BONNAE,
FORMIS F. P. LECHNERI.
CIↃIↃCCCLI.

PRAECEPTORI SUO

CHRISTIANO AUGUSTO BRANDIS

D. D. D.

IOANNES PETRUS NICKES,

UT

PIUS, MEMOR GRATUSQUE

COGNOSCERETUR AUDITOR.

PRAEFATIO.

Legenti mihi non sine magna animi delectatione et pertractanti Aristotelis scripta abhinc annos tres id cecidit peropportune, ut in Academia Rhenana haec de eius Politicis proponeretur disputatio: „Quonam proposito Aristoteles ad politices disciplinam tractandam accesserit; susceptumque consilium qua ratione in eis quos hodie legimus Politicorum libris persecutus sit, ita disquiratur, ut quae sunt de singulorum et librorum et capitum integritate, ordine et dispositione controversiae, pensitatis ab utraque parte rationibus, exploretur.“ Medio autem mense Aprili A. CIↃIↃCCCXLVIII., postquam scriptiunculam meam perfeci et §. §. 36 transcripsi iam tum in mundas paginas: a praeceptore meo Chr. Aug. Brandis philos. doctore et professore p. o. benevola manu accedi

librum de Aristoteleis Politicis a Leonh. Spengelio paulo ante editum. Unde cognovi, virum illum harum rerum cum primis peritum mecum consentire compluribus de rebus, quas a me esse primo quidem animadversas putaveram. Quare quum verum me vidisse facilius mihi persuaderem, vehementer gavisus sum. Neque enim est illa quidem sententia probanda: pereant, qui ante nos eadem dixere. Ubi autem res ita tulit, ut ab eo dissentirem, annotatiunculis id significavi; itemque si quod me fugerat novi quid apud eum inveni: quominus in disputationem meam reciperem, temporis angustiis aliisque studiis impeditus, annotationem adscripsi. — Testatum denique omnibus esse volo, me hunc edidisse libellum, non quod vel mediocre quid a me praestitum esse putarem, sed ut, eis quae ante scripseram leviter retractatis, Aristotelea studia animo retenta, gravioribus studiis remissa tum revocarentur tum incitarentur.

INDEX.

PARS ALTERA.

Qua ratione Aristoteles susceptum consilium in eis quos hodie legimus Politicorum libris persecutus sit, ita disquiratur, ut quae sunt de singulorum et librorum et capitum integritate, ordine et dispositione controversiae, pensitatis ab utraque parte rationibus, exploretur.

PROOEMIUM.

---

§. 1.

Quae sunt de Aristoteleis Politicis, de singulorum et librorum et capitum integritate, ordine et dispositione inter homines doctos controversiae, iuste diiudicari non possunt, nisi cognito scriptoris consilio. Quonam igitur proposito Aristoteles ad politices disciplinam tractandam accesserit, quum ab aliis scriptoribus non sit traditum, ex eius ipsius discendum est libris. Politicorum autem libros qui perlegere voluerit, mirum id ei videbitur atque insolens, quod eorum initio, et quam rem tractaturus sit Aristoteles et quo consilio, aperire prorsus omisit. At vero reliqua eius volumina si pervolverit, cum Politicorum libris facile intelliget copulata esse ab auctore Ethica Nicomachea, et ita quidem, *ut Ethica et Politica verae essent duae unius eiusdemque operis partes*[1]). Quod si verum est, ut est

---

1) Spengelius (über die unter dem Namen des Aristoteles erhaltenen ethischen Schriften. 1841. p. 25.) recte quidem, sed non perfecte et absolute: „Ethik und Politik ein *gleichsam* aus zwei Theilen bestehendes Werk.“

certe; primum nobis investigandum est consilium totius operis, deinde prioris partis consilium et id quomodo Aristoteles sit persecutus. Denique ad rem propius accedentes disputabimus de alterius partis i. e. de Politicorum consilio, et qua id ratione in eis quos hodie legimus Politicorum libris persecutus sit.

PARS PRIOR.

Quonam proposito Aristoteles ad politices disciplinam tractandam accesserit.

CAPUT I.

De consilio totius operis, cuius altera pars vocatur Ethica, altera Politica.

§. 2.

Aristoteles quum Ethica et Politica conscriberet, id sibi proposuit, ut de rebus humanis (περὶ τὰ ἀνθρώπινα) inquireret [1]. Quod quid significet, ut accuratius cognoscatur, paulo altius repetendum est. Quum bonum, propter quod alia expetenda sunt, maius sit atque optabilius, quam ea quae propter illud expetuntur: summum est, quod quidem homines consequi possunt [2], vel extremum vel ultimum bonorum omnium id, ad quod omnia referuntur, ipsum autem nusquam. Eorum autem, quae non per se sed propter aliud appetuntur, bonorum aliud alia efficere studet ars aut doctrina [3]: *illud vero bonorum humanorum ultimum,*

---

1) Eth. Nic. X. 10.

2) πρακτὸν καὶ κτητὸν ἀνθρώπῳ. Eth. Nic. I. 4. cf. Muret. (ed. Rhunkenius) in Eth. Nic. I. 1. tom. III. p. 146. cf. Eth. Magn. I. 1. Eud. I. 7.

3) doctrina idem declarat quod μέθοδος. cf. Muret. l. c. p. 139.

ut non singulis tantum hominibus sed totis impertiat rebuspublicis secundum Aristotelem quasi finem propositum habet ἡ πολιτικὴ δύναμις. Quae facultas [1]) laudatur tanquam regina et architecta aliarum omnium facultatum (ἡ κυριωτάτη καὶ μάλιστα ἀρχιτεκτονική. Eth. Nic. I. 1.), quoniam non solum praecipit, quibus disciplinis in civitatibus opus sit, et quales quibusque discendae et quousque, sed etiam omnes alias facultates infra se positas tenet omnesque quae πρακτικαὶ nominantur continet doctrinas [2]). De hac igitur πολιτικῇ facultate, cui quasi finis propositum est τ' ἀνθρώπινον ἀγαθόν [3]) i. e. universum bonum humanum, scribere constituit Aristoteles πολιτικὴν πραγματείαν [4]). Hoc enim nomine non Politica solum significantur, sed etiam Ethica. cf. Rhet. I. 2. ἡ περὶ τὰ ἤθη πραγματεία, ἣν δίκαιόν ἐστι προσαγορεύειν πολιτικήν. Et ita quidem hanc πολιτικὴν conscribere voluit, ut eam se tradentem cogitaret talibus discipulis, qui iam adulti et educati ita essent, ut voluptates repudiarent, quique iam mediocriter essent in vita versati et in republica. Ita enim affectum discipulum horum librorum institutione exstiturum putavit κατ' ἀλήθειαν πολιτικόν [5]), qui artem πολιτικὴν non cognitam haberet solum sed factitaret etiam adiuvaretque totam rempublicam, ut idem bonum adipisceretur. Ac de totius operis consilio diximus.

---

1) Verbum δύναμις idem significat, quod Latinum facultas. cf. Cic. de inv. I. 5. Quo loco „oratoria facultas" idem valet, quod Graeca δύναμις ῥητορική. Ut δύναμιν Graeci, ita Latini ei facultatem alicuius rei esse dicunt, qui eam facere potest vel faculter facit. Eadem vis verbo utrique subest, quae nostris: Das Vermögen, die Fähigkeit, das subiektive Können, quibus opponitur: die objektive Kunst, ut scientiae (dem subjektiven Wissen): doctrina, disciplina (die objektive Wissenschaft).

2) Eth. Nic. I. 1.

3) Eth. Nic. X. 10.

4) Eth. Nic. I. 1; X. 10.

5) Eth. Nic. I. 13.

CAPUT II.

De consilio partis prioris, quae Ethica vocatur.

§. 3.

Vere politicus, quem Aristoteles ad scientiam facultatemque civilem informare vult, certe nemo potest aut fieri aut esse, quin accurate perspexerit, quis sit suae artis finis, i. e. quid sit illud summum vel extremum bonorum omnium, quod sibi totique reipublicae acquirere debet. Quomodo enim quae cogitet, quae velit, quae faciat, ad illud ultimum bonorum (quod Graeci *τέλος* nominant[1])) referat, id si quid et quale sit nesciat? Quemadmodum autem ei, qui vere politicen vult factitare, inprimis sciendum est, quid sit illud quod persequitur: ita et qui scribere vult *πολιτικὴν πραγματείαν* ad erudiendos adulescentes, ei primum quaerendum ac docendum est, quid sit summum bonum, quod ut finem *ἡ πολιτικὴ δύναμις* expetat. Ea enim quaestione omissa, qui de politicis scribere institueret, idem faceret, ac si quis de medicorum arte accurate exponere vellet et totius quasi fundamentum disputationis investigationem de bona valetudine relinqueret. Quod quum optime perspectum haberet Aristoteles, ante quam de ipsis politicis inquireret, non quidem ut qui legerent politicen scirent, sed ut eam docti factitarent[2]), *finem τῆς πολιτικῆς i. e. summum bonorum omnium sane obscurum et a multis ignoratum illustrare studuit in Ethicis.*

Annotatio. In Ethicis id fuisse Aristoteli propositum, ut explicaret *τῆς πολιτικῆς* finem i. e. summum bonorum humanorum, demonstrat Ethicorum prooemium, I. Ethicorum libri tota quaestio, in reliquis libris disputandi ratio, demonstrat Ethicorum epilogus ac Politicorum libri VII. initium eiusque cap. XIII. Neque vero ignoro aliam de Ethicorum consilio sententiam eamque ab illa valde discrepantem diu lateque esse diffusam. Definiunt enim con-

1) Cic. de fin. I. 12.

2) Eth. Nic. I. 1; II. 7; X. 9. et 10. etc.

silium hoc modo: In Ethicis propositum id habuisse philosophum, ut *singuli homines* qua ratione quibusque rebus boni evaderent omnibusque praediti virtutibus, exponeret. Deinde Ethicis opponunt Oeconomica et Politica. In Oeconomicis enim id eum egisse, ut *familia* quo modo ad virtutem perduceretur, ostenderet. *Tota autem civitas* quibus legibus, qua via virtutem consequeretur vitamque beatam, eum explicasse in Politicis. Sed Ethicorum consilii definitionem istam quidem non esse rectam, vel eo videre debebant, quod bonus ex Aristotelis sententia nemo potest aut fieri aut esse, quin in civili vivat communitate. Id quoque eis dubitationem movere oportebat, quod ne ullo quidem loco, neque in Ethicorum X, neque in Politicorum VIII libris Aristoteles se significavit in Ethicis monstrare aut monstrasse viam, qua singuli ad beatitudinem virtutemque pervenire possent homines. At vero Ethicorum illud quod nox diximus consilium comprobatur gravissimis quae attulimus argumentis, ac verum id esse intelliget, quicunque, nulla praeiudicata opinione, ad Ethica perlegenda accesserit. Sed unde error iste ortus est prope incredibilis? Philosophus ipse in culpa certe non est, quum quid voluerit, diserte elocutus sit. Quare alia quaerenda est erroris ansa. Quum igitur *ἡ οἰκονομικὴ* *domum*, *ἡ πολιτικὴ* *totam civitatem* bene constitueret et ad virtutem colendam adiuvaret, dilucidis verbis praetermissis, coniecerunt *singulos homines* reddere bonos Aristotelem studuisse in Ethicis. Qui error iam in eorum animos irrepsisse videtur, quibus Aristotelis doctrina tradita est C annis post eius mortem. Magnorum enim Ethic. scriptor, qui circiter C annis post Aristotelem vixisse putatur, magistri sententiam non secutus, id sibi proposuit, ut explicaret, qua ratione ac via virtutem singuli homines consequerentur. Argumento est ipsum initium *Ἐπειδὴ προαιρούμεθα λέγειν ὑπὲρ ἠθικῶν, πρῶτον ἂν εἴη σκεπτέον τίνος ἐστὶ μέρος τὸ ἦθος. Ὡς μὲν οὖν συντόμως εἰπεῖν, δοκεῖ οὐκ ἄλλης ἢ τῆς πολιτικῆς εἶναι μέρος. Ἔστι γὰρ οὐθὲν ἐν τοῖς πολιτικοῖς δυνατὸν πρᾶξαι ἄνευ τοῦ ποιόν τινα εἶναι, λέγω δ' οἷον σπουδαῖον. Τὸ δὲ σπουδαῖον εἶναί ἐστι τὸ τὰς ἀρετὰς ἔχειν. Δεῖ ἄρα εἴ τις μέλλει ἐν τοῖς πολιτικοῖς πρακτικὸς εἶναι τὸ ἦθος εἶναι σπουδαῖος. κ. τ. λ.* Postea vero error latius manavit, ad quem via sane lubrica fuit et prona. Hanc falsam de Ethic. consilio sententiam invenies apud Ioannem Dam. *περὶ φιλοσοφίας*, apud Eustratium in Eth. I. 1.[1]), Thomam Aquinatem, alios. Re-

1) „Eustratii et aliorum insignium Peripatetic. comm. in l. X Arist. de moribus ad Nicom.“ Venet.

centiorum autem scriptorum animos ita occupavit, ut eam qui vitaverit, ne unum quidem nominare possim.

Quum autem quod Aristoteles sibi proposuisset Ethicorum consilium, non essent assecuti; neque perspicere potuerunt eam, quae inter Ethica et Politica intercedit, rationem et coniunctionem. Quam parum accurate intellexit Spengelius[1]), plane ignoraverunt Ritterus[2]) et Bieseus[3]).

CAPUT III.

Quomodo Aristoteles susceptum consilium in Ethicis persecutus sit.

I.

De summo bono, quod quidem homines possint acquirere.

§. 4.

Aristoteles de summo hominis bono disputaturus, quod adipisci sibi proponit ἡ πολιτική, primum, ut solet, quod de eo alii dixerunt, diiudicat. Sunt igitur de summo hominis bono controversiae non nominum quidem sed rerum[4]). Beatitudinem (εὐδαιμονίαν) enim summum bonum appellant omnes, re ipsa autem inter se toto coelo dissident. Alii tanquam extremum bonorum laudant atque consectantur voluptates, alii divitias, gloriam alii[5]). Sed primi pecudum vitam ac bonum degere videntur, non hominum. Divitiae autem bonorum summum nullo modo esse possunt, quum propter aliud expetantur; neque gloria, quae nec sit in homine ipso sed in aliis, nec satis firma stabilisque perma-

---

1) Spengel „Ueber die unter dem Namen des Arist. erhaltenen eth. Schriften.“ 1841. p. 24. et p. 38.

2) Ritter „Geschichte der Philosophie“ III. p. 318.

3) Biese „Die Philosophie des Arist.“ II. p. 290. s.

4) Eth. Nic. I. 2. 5) Eth. Nic. I. 2. 3.

neat [1]. Neque hominis bonum (id quod nonnulli contenderunt) positum esse potest in specie (ut Ciceroniana ἰδέας interpretatione utar), quippe quae ab hominibus comparari non possit [2]. Fuerunt quoque, qui in virtute beatitudinem positam esse existimarent aut in contemplatione [3]. Quibus sententiis dinumeratis, admonet summum esse bonum, quod ipsum ad nullam aliam rem, ad id autem res referantur omnes, ita vero beatitudinem potius comparatam esse, quam virtutem, quae non vi sua solum et propter se optetur, sed etiam beatitudinis causa; atque summum bonum, praeter et ultra quod desideretur nihil, sufficiens (αὔταρκες) esse, neque nobis quidem solis sed parentibus, liberis, amicis, civibus. Deinde pergit ad extremum humanorum bonorum quaerendum ac definiendum.

Quum ubique in opere τὸ εὖ et bonum cernatur, in opere humano hominis bonum necesse est contineri. Hominis autem opus ac munus vita practica est rationem habentis (πρακτικὴ τοῦ λόγον ἔχοντος). Rationis vero altera animi pars ita particeps est, ut eam ipsam habeat eâque intelligat (τὸ μὲν ὡς ἔχον καὶ διανοούμενον), altera, ut eam tantum percipiat eique obediat (τὸ δ' ὡς ἐπιπειθὲς λόγῳ). Ea vero, quae habent homines, aut habent (possident) solum [4]) aut eis utuntur in agendo. Quoniam autem soli habitui usus anteponendus est atque ἐνέργεια, opus ac munus hominum animi ἐνέργεια est secundum rationem aut non sine ratione (κατὰ λόγον ἢ μὴ ἄνευ λόγου) [5]. Sed generis humani si definimus opus, de homine malo certe non cogitandum est, sed de praestanti et virtute praedito (σπουδαίῳ), qui opus bene efficiat. Bene autem quodque opus

1) Eth. Nic. I. 2. 3. 2) l. c. 4. 3) l. c. 3.

4) Ἕξις interdum idem declarat, quod Latinum „possessio". Eth. Nic. I. 8. Magna I. 3.

5) Haec operis humani definitio ad omnes homines accommodata est, ad servos et liberos. Nam servi ita rationis participes sunt, ut eius vocem percipere ex aliis eique possint obtemperare (Pol. I.

efficitur, si fit secundum unius cuiusque virtutem. Et tale quidem opus bonum est. *Bonum igitur humanum in opere humano cernitur bene perfecto i. e. in animi ἐνεργείᾳ secundum virtutem, et si plures virtutes, secundum optimam et perfectissimam in vita perfecta* (cf. Ethic. Nic. I. 6.).

Quam ἐνέργειαν qui sibi comparaverit, non externas desiderabit voluptates; sed quoniam ea quisque re maxime delectatur quam maxime adamaverit, ex illa ἐνεργείᾳ, quam summa dilectione complectitur, percipiet laetitiam quae secundum naturam est veram ac probam [1]. Ad bona vero externa quod attinet, corporis et sanitas et pulchritudo necessariae videntur ad bene agendum beateque vivendum. Divitiae vero, opes, potentia civilis utiles sunt ὀργανικῶς [2]. Quibus bonis qui destitutus est, etsi saepius impeditur, quominus secundum virtutem agat: nec tamen istis comparatis, vita redditur beata, sed sola virtute; nec contra eis detractis, misera, sed vitio [3]. Iam vero summo bono ita constituto, ut sit animi ἐνέργεια secundum virtutem, et si plures virtutes, secundum optimam et perfectissimam in vita perfecta, philosopho deinceps disserendum erat

II.

De virtute sive de honesto (περὶ τοῦ καλοῦ).

§. 5.

Disputatio enim de summo hominis bono sive de beatitudine ne frustra instituta esset, ita persequenda fuit, ut politicus edoceretur, quid esset virtus, quomodo eam ipse consequeretur, ad eamque quomodo alios informaret. Ita-

---

4. s. 13.); liberi ita, ut ea ipsi ethice et theoretice utantur (ibid.). Servi suum quisque opus perficiunt, si herorum rationem sequentes non sine ratione agunt. Quare opus servorum est animi ἐνέργεια non sine ratione, liberorum animi ἐνέργεια secundum rationem.

1) Eth. Nic. I. 9. 10. 2) ibid. I. 10. 3) ibid. I. 11. 12.

que Aristoteles primum, qua lege virtutes dividantur exponit, deinde quomodo nascantur atque efficiantur, tum definit, quid sit virtus ἠθική, post quae et quales et quot sint virtutes morales, denique disputat de virtute διανοητικῇ. Primum igitur quum partiendae sint virtutes, rationem habeamus necesse est animi partium, quarum suam quaeque habet virtutem. Animi autem pars prior rationis est particeps, posterior expers. Haec item dividitur in partes duas. Quarum altera est τὸ θρεπτικὸν v. φυτικόν, quod quum nobis commune sit cum plantis et pecudibus, virtutem quidem habet quandam, sed non eam quam quaerimus humanam; altera τὸ ὀρεκτικόν [1]), cuius quaedam pars, τὸ ἐπιθυμητικόν, quamvis rationi non numquam adversari et repugnare audeat, potest tamen et rationis vocem audire eique obtemperare. Ad hanc animi partem referuntur virtutes morales, quas ἠθικὰς Graeci vocant; ex illa vero quae rationem habet parte existunt virtutes διανοητικαί. Hae gignuntur augenturque doctrina, illae consuetudine. Morales enim virtutes agendo adipiscimur et exercendo. Nam similibus repetitis actionibus, nascuntur habitus. Itaque opera danda erit, ut singulae actiones rectae sint h. e. secundum rectam rationem. Quae tota res redit ad consuetudinem (Eth. Nic. I. 13. et II. 1.). Postquam vero exposuit virtutem mediocritatem tenere, quae est inter nimium et parum praesertim in fugiendis voluptatibus suscipiendisque doloribus [2]), efficere pergit, quid sit virtus moralis (ἠθική). Qua quidem ita constituta, ut sit habitus voluntarius, medium tenens non quodcunque, sed id quod nobis ratio conveniens esse monstraverit [3]), unam quamque virtutem, ratione omnium habita animi perturbationem [4]), me-

---

1) Non ἐπιθυμητικόν, quod putavit Spengelius l. c. p. 26. cf. Ethic. Nic. I. 13. τὸ ἐπιθυμητικὸν καὶ ὅλως ὀρεκτικόν.

2) Eth. Nic. II. 2. 3) ibid. II. 4. 5. 6.

4) „animi perturbationes“, ita latine reddidi πάθη; his verbis uti malo quam verbo „affectiones“, secutus Cic. de Fin. III. 10. 35. al.

diocritatem sequi ostendit[1]). Ne tamen de voluntario habitu dubium ullum relinquatur, quid sponte agere dicamur, quid inviti, plane ac perspicue exponit quaeritque de deliberatione, de optatione, de voluntate, de consilio s. de proposito[2]). Quae inquisitio praeterquam quod divelli a virtute nequit, eam quoque ob causam politico utilis est vel necessaria potius, quod in praemiis poenisque constituendis semper spectandum est, quid sponte, voluntate ac consulto cives quid inviti egerint[3]). Iam vero enucleat, quae et quales sint, quibusque in rebus versentur singulae virtutes, fortitudo, modestia s. temperantia, liberalitas etc. (Eth. Nic. III. 8—V.). De iustitia autem quae prae aliis omnibus civilis esset virtus, atque ad coniunctionem hominum societatemque quam maxime pertineret, scripsit totum librum V. Libro sexto transgreditur ad illustrandas virtutes *διανοητικάς*, ut et quae sit recta ratio (*ὁ ὀρθὸς λόγος*) perspicuum fiat, et quid inter virtutes *διανοητικὰς θεωρητικὰς* intersit et inter *διανοητικὰς πρακτικάς*, et quaenam his coniunctio sit cum moralibus.

Reliquum est, ut de eis rebus quaerat quae fugiendae sunt, de vitio (*κακίᾳ*) quod virtutibus moralibus contrarium ponit, de intemperantia (*ἀκρασίᾳ*) cui contraria est temperantia (*ἐγκράτεια*) et de immanitate (*θηριότητι*) cui opponit virtutem quandam divinam. De vitiis antea disputatum est. De intemperantia vero uberius disseritur, quae a vitio differt eo, quod eam in se intemperans (*ἀκράτης*) nec sponte aut consulto admittit, nec se recte non agere ignorat[4]). Denique breviter de immanitate.

Finita disputatione de virtutibus s. de honesto (*περὶ τοῦ καλοῦ*), quid est de quo deinceps dicturum Aristotelem exspectemus? Quum de bono humano quaestio sit suscepta, disputatum autem de honesto, ad finem perducta omnis di-

---

1) Eth. Nic. II. 7. 2) ibid. III. 1—8.
3) ibid. III. 1. 4) ibid. VII. 9.

sputatio est, si praeter honestum nihil ab Aristotele bonum hominis nominatur: sin autem alia sunt bona, speramus, de eis fore ut dicatur. Atqui non (τὸ καλόν) honestum modo bonum vocat et optabile, verum etiam (τὸ συμφέρον) id quod conducit et (τὸ ἡδύ) iucundum; praeter honestum enim ea omnes expetunt homines. cf. Ethic. Nic. II. 2. *Τριῶν γὰρ ὄντων τῶν εἰς τὰς αἱρέσεις καὶ τριῶν τῶν εἰς τὰς φυγάς, καλοῦ, συμφέροντος, ἡδέος, καὶ τριῶν τῶν ἐναντίων, αἰσχροῦ, βλαβεροῦ, λυπηροῦ, περὶ πάντα μὲν ταῦτα ὁ ἀγαθὸς κατορθωτικός ἐστιν, ὁ δὲ κακὸς ἁμαρτητικός κ.τ.λ.* De eo igitur quod conducit (περὶ τοῦ συμφέροντος) et de iucundo (περὶ τοῦ ἡδέος) philosophum deinceps dicturum exspectamus, non solum quod ea in eis quibus de agitur bonis humanis numerantur, sed etiam quod in eisdem ille recte agere debet vir bonus, cuius de opere et munere i. e. de animi *ἐνεργείᾳ* secundum virtutem tota instituta disputatio est (cf. §. 4.). At vero exspectatio sane iusta illa quidem nos fallere videtur, quum libris de virtutibus et vitiis adiungatur quaestio

III.

De caritate[1]) (περὶ φιλίας).

§. 6.

Sed fortasse videtur tantum. Videamus. Annectit igitur Aristoteles de caritate disputationem primum ad libros de

---

1) De *caritatis* significatione cf. Cic. de Fin. V. 28. . . . . „et ipsa *caritas* generis humani, quae nata a primo satu, quo a procreatoribus *nati* diliguntur, serpit sensim foras *cognationibus* primum, tum *affinitatibus*, deinde *amicitiis*, post *vicinitatibus*, tum *civibus* et eis qui publice socii atque amici sunt, deinde *totius complexu gentis humanae*, quae animi affectio suum cuique tribuens atque hanc quam dico societatem coniunctionis humanae munifice et aeque tuens *iustitia* dicitur“ etc. Cum hac *caritate* quam vocant Latini omni ex parte congruit Graeca *φιλία*. *Φιλία* enim in natis vocatur *pietas* erga parentes, in parentibus *dilectio*

virtutibus et vitiis ita, ut caritatem virtutem quandam esse aut cum virtute coniunctam dicat; deinde ad eam partem, quae est de πολιτικῆς fine sive de beatitudine, ita, ut eam maxime necessariam esse ad vivendum demonstret, quum summa in solitudine vitam agere nemo velit, ne cum infinita quidem bonorum omnium abundantia; tum ad totam de politica facultate quaestionem ita, ut eandem civitates continere doceat. Quas tamen rationes omnes si animo considerare volumus, suspicari potius quam intelligere poterimus, quomodo de caritate locus cum libris de virtutibus s. de honesto cohaereat, quîque sit aptus ad totius operis descriptionem. Quod tum accurate perspiciemus et plane, cum sententiam quandam, quae quasi obruta inter alias latet, eruerimus omnique ex parte dispexerimus. Est autem haec. Caritatem ait Aristoteles conferre adulescentibus ad peccata vitanda, senibus ad actiones eas, quas ipsi ob imbecillitatem aut inchoatas aut mancas relinquant, supplendas atque perficiendas, ad honeste agendum natu maioribus [1]. *Eam igitur ob causam de caritate disputatio hunc obtinet locum, quod ad virtutem colendam hominibus conducit i. e. quod est τὸ κατ' ἀλήθειαν συμφέρον, id quod vere confert ad bonorum ultimum consequendum.* Et profecto hoc ipsum, neque praeter id aliud quidquam appellat τὸ ρυμφέρον: . . βουλεύονται δὲ οὐ περὶ τοῦ τέλους, ἀλλὰ περὶ τῶν πρὸς τὸ τέλος, ταῦτα δ'ἐστὶ τὰ συμφέροντα κατὰ τὰς πράξεις, τὸ δὲ συμφέρον ἀγαθόν. Rhet. I. 6. Id igitur in libris de caritate Aristoteles agit, ut doceat, quid sit illud quo ad honeste agendum adiuvemur, et ita quidem adiuvemur,

---

erga liberos, in cognatis, familiaribus, vicinis *amor*, in amicis *amicitia*, in civibus *concordia*. Quare „φιλία“ interpretanda est „caritas“, non „amicitia“ (cum interpretibus omnibus); quae φιλίας pars est aeque parva ac caritatis.

1) Eth. Nic. VIII. 1. *Καὶ νέοις δὲ πρὸς τὸ ἀναμάρτητον, καὶ πρεσβυτέροις πρὸς θεραπείαν καὶ τὸ ἐλλεῖπον τῆς πράξεως δι' ἀσθένειαν βοηθεῖ, τοῖς τ' ἐν ἀκμῇ πρὸς τὰς καλὰς πράξεις.*

ut sine illo fungi munere atque opere nostro haudquaquam possimus[1]). Id ipsum autem caritas est, quae nos non solum cum amicis coniungit, sed etiam cum parentibus, uxore, liberis, civitate. Caritas autem, quae nostram cum civitate coniunctionem efficit, est τὰ κοινῇ συμφέρον, eaque parit iustitiam. cf. Pol. III. 12. ἔστι δὲ πολιτικὸν ἀγαθὸν τὸ δίκαιον, τοῦτο δ' ἐστὶ τὸ κοινῇ συμφέρον[2]).

Coniunctiones autem cum parentibus, familiaribus, republica plane aliter ad beatam vitam utiles sunt, atque opes et divitiae. His enim qui careat, quamvis a quibusdam impediatur actionibus, bonus tamen probusque et fieri et esse potest nonnullaque agere secundum virtutem[3]). At illis societatibus qui destitutus sit, ei nec ratio ulla est nec via, qua vir bonus evadere aut honesti quidquam agere possit[4]). Ad bene beateque vivendum autem quae hominibus conducunt vel potius necessaria sunt, de eis quomodo philosophus exponat, paucis dicemus. Primum igitur caritate in tres species divisa, quarum una propter voluptatem iungitur, propter utilitatem altera, tertia propter vir-

---

1) Haec disputationis de caritate artissima cum tota re coniunctio fugit, quod equidem sciam, omnes qui de his libris scripserunt. Chr. Panschius in dissertat. litteraria (Bonnae 1833.) VIII. et IX. libros putavit proprium fuisse opus, quod in Eth. Nic. post mortem Aristotelis insertum esset a criticis. Ritterus l. c. p. 347. libris de caritate utitur tanquam transitu ad Politica. Spengelius l. c. p. 35. haec dicit: „Ihre (der Untersuchung über die Freundschaft) Aufnahme in die Ethik wird im ersten Kapitel gerechtfertigt, dass auch sie eine Tugend oder wenigstens mit Tugend, im Leben unentbehrlich, endlich auch etwas schönes oder lobenswerthes sei.“ Bieseus l. c. p. 377. caritatem in eis quidem rebus numeravit, quibus ad virtutem colendam adiuvamur, nihil tamen aliud fecit, nisi ut Aristotelis verba repeteret.

2) cf. Rhet. I. 6. καὶ τὸ δίκαιον, συμφέρον γάρ τι κοινῇ ἐστίν.

3) Eth. Nic. I. 11. 12.

4) Divitiae atque opes numerandae sunt in χρησίμοις, in συμφέρουσι illae societates. — Quantopere τὸ χρήσιμον et τὸ συμφέρον inter se discrepent, cum intelligendum est ex definitione τοῦ χρησίμου (quae

tutem, haec laudatur tanquam vera et firma et stabilis. In qua sola amicus aeque amicum ac semet ipsum diligit, eumque, quantum potest, ad bonorum ultimum consequendum adiuvat[1]. Aequalitatis deinde ratione habita et inaequalitatis, caritatem item partitur in aequalem et inaequalem[2], ut ad rem ipsam, cuius causa suscepta tota disputatio est, statim accedat. Aequo enim ait iuris et caritatis vinculo coniunctas esse societates omnes et communitates, et ita quidem ut quo artior sit communitas i. e. quo maiores pluresque res sociis communes, eo artior sit caritas maiorque iustitia[3]. Omnis autem coniunctio pars est communitatis civilis. Haec vero civilis communitas neque ad tempus, neque ut aliae societates *συμφέρον τι* (quiddam eorum quae conducunt) expetit, sed et pro vitae perpetuitate et *τοῦ συμφέροντος* (eius quod conducit simpliciter) et quidem *τοῦ κοινῇ συμφέροντος* (eius quod communitati conducit) causa constituta est[4]. Quae civiles communitates cum plures et diversae sint[5], earum cui iustitia maxima est artissimumque iuris vinculum, in ea et caritas intima est[6] communisque utilitas maxima. Iustum autem quum sit aequabile quiddam et par, hominum vero communitatibus alii aliis magis prosint sive virtute sive divitiis, hi affi-

---

est in Pol. VII. 1. *πᾶν δὲ τὸ χρήσιμόν ἐστιν ὧν τὴν ὑπερβολὴν ἢ βλάπτειν ἀναγκαῖον ἢ μηδὲν ὄφελος εἶναι αὐτῶν τοῖς ἔχουσιν*) tum ex eo, quod caritas in honestis ponitur (Eth. Nic. VIII. 1.), divitiae in iucundis (ibid. VII. 6.).

1) Eth. Nic. VIII. 1—7. IX. 2 et 12. 2) ibid. VIII. 8.

3) Eth. Nic. VIII. 11.

4) *Συμφέροντι* et *χρησίμῳ* inter se commutatis, haec scripsit Ritterus p. 865. l. c.: „Die Entstehung des Staates leitet Aristoteles wie Plato daraus ab, dass die einzelnen Gemeinden und Hauswesen sich nicht genug sind, um alle Bedürfnisse zu befriedigen. Von dieser Seite gesehen, wird *und ist der Staat nur des Nutzens wegen* (Ethica Nicom. VIII. 11.)."

5) Eth. Nic. VIII. 12. 6) Eth. Nic. VIII. 13.

ciendi honore sunt, quo imparia exaequentur omnia[1]. Haec de iustitia in civitatibus. — Caritas autem civilis a concordia (*ὁμονοίᾳ*) non discrepat, quippe quae in eis rebus cernatur, quae conducant ad vitamque pertineant[2]. Eis quae de amicorum inter se coniunctione sequuntur praetermissis, progrediar ad reliqua.

Philosophus igitur postquam de caritate ita locutus est, ut quod vere conducit (*τὸ συμφέρον*) id in coniunctione hominis cum parentibus, uxore, liberis, amicis civilique in communitate positum esse appareret: ad explicandum bonorum tertium pergit quod est iucundum (*τὸ ἡδύ*), quod idem eorum quoque tertium est, in quibus vir bonus recte facit, improbus peccat (cf. §. 5.)[3].

IV.

De iucundo vel de voluptate (*περὶ τοῦ ἡδέος*).

§. 7.

Ut libros de caritate, ita etiam de voluptate quaestionem et ad disputationem de virtute et ad politicen adiungit.

---

1) Eth. Nic. VIII. 16. 2) ibid. IX. 6.

3) Similem de Ethicorum partibus sententiam elocutus videtur Eclogarum Ethic. auctor apud Stobaeum. De Aristotele enim ubi sermo est, leguntur haec: *σκοποὺς δ' ὑποτίθεται τῆς φύσεως τῶν ἀνθρωπίνων ὀρεξέων τρεῖς, τὸν τοῦ καλοῦ, τοῦ συμφέροντος, τοῦ ἡδέος. καλὸν μὲν οὖν ἐστιν ἀρετὴ καὶ τὸ μέτεχον ἀρετῆς, ὥσπερ αὐτὸς ὁ σπουδαῖος καὶ τὸ ἀπ' ἀρετῆς ἔργον, ὥς τ' ἀγαθὸν τὸ καλόν, καθ' ὃ ἐπαινετὸν καὶ τὸ παρέχειν ἐπαινετούς. συμφέρον δὲ πρὸς τὸ ζῆν εὔχρηστον, συμπαρατείνοι δ' ἂν ἡ εὔνοια καὶ πρὸς τὸ εὖ ζῆν. ταῦτα τάδ' ἐστί κατὰ τῆς ψυχῆς καὶ σώματος περὶ ὧν προείρηται. ἡδύ δ' ἐστὶν οἰκεῖον ψυχῆς καὶ σώματος πάθος εἰς τὸν κατὰ φύσιν ἐκ τοῦ παρὰ φύσιν ἀγωγόν. κ. τ. λ.* Neque enim veri simile est eum qui excerpsit, unam illam ante oculos habuisse sententiam, quae est in Eth. Nic. II. 2. Praeterea quae de honesto et iucundo dicit, optime quidem quadrant in quaestiones de virtutibus et de voluptate. De *συμφέροντι* vero quae interponit, ea quomodo cohaereant, me non intelligere fateor. Verba corrupta esse videntur.

Voluptatem enim et dolorem, quibus regantur infantes, tum ad educationem pertinere, tum ad virtutem moralem vitamque beatam, quum iustis de rebus gaudere aut dolere haud parvi in tota vita momenti sit. Iam vero eorum quae de voluptate dicit, summam paucis complectamur. Explosis igitur aliorum sententiis, iucundi et originem persequitur et genera. Voluptas originem ex *ἐνεργείᾳ* ducit; in ea enim inest eamque finit et consequitur[1]). *Ἐνέργειαι* autem quum specie (*εἴδει*) inter se diversae sint, voluptates etiam quae cum illis coniunctae sunt, necesse est specie inter se differre[2]). Quod verum esse videre licet ex eo, quod *ἐνέργεια* propria et sua quaeque laetitia augetur, aliena vero intercedente, minuitur ac depravatur. Effectus autem (sic appello *ἐνεργείας*) inter se ita discrepant, ut alii probi sint, improbi alii ac turpes. Unde sequitur, ut etiam voluptatum aliae sint bonae, aliae turpes ac vituperandae. Suum autem cuiusque animantis quum opus sit suaque *ἐνέργεια*, consentaneum est propriam et suam cuique animantium *ἐνεργείᾳ* esse voluptatem. Ex quo perspicitur non alias homini esse veras voluptates, quam quae eius ex opere atque effectu i. e. ex animi *ἐνεργείᾳ* secundum virtutem nascantur eamque quasi prosequantur ac finiant[3]).

Finita de iucundo investigatione, tria illa Aristoteles explicavit bona, honestum (*τὸ καλόν*), id quod conducit (*τὸ συμφέρον*), iucundum (*τὸ ἡδύ*). Itaque ei nihil aliud reliquum est, quam ut revertatur ad beatitudinem, quae significata quidem antea, sed virtutibus nondum divisis, accurate cognosci non potuit.

V.

De beatitudine (*εὐδαιμονίᾳ*).

§. 8.

Quum ab initio beatitudo ita constitueretur, ut esset animi *ἐνέργεια* secundum virtutem, ac si plures virtutes es-

1) Eth. Nic. X. 3. 2) ibid. X. 5. 3) ibid. 3. 4. 5.

sent, secundum optimam et perfectissimam: haec ideo satis intelligi non poterant, quia virtutis natura ignorabatur et genera. Quae quoniam praecedentibus libris enucleata sunt, in libri decimi parte altera magnifice tanquam ex oraculo editur: Optima est virtus optimae animi partis i. e. mentis, qua nulla divinior [1]). Mentis ἐνέργεια secundum propriam eius virtutem beatitatem efficit perfectam, stabilem, nullius rei requirentem. Maxime igitur Aristoteli placuit vitae degendae ratio quieta, in contemplatione et cognitione posita rerum, quae deorum vitae visa est simillima. Alterum locum obtinet animi ἐνέργεια secundum virtutem moralem. Actiones enim ethicae et plura requirunt bona externa, nec tam propter se perficiuntur, nec tanta cum iucunditate, quam ἐνέργειαι theoreticae. Ergo theoreticam ἐνέργειαν secundum virtutem mentis praestantissimam esse elucet atque expetendam maxime [2]).

Quibus omnibus explanatis, Aristoteles quod in Ethicis scribendis sibi proposuit, id omnino praestitit. Nam bonorum ultimum, quod ἡ πολιτικὴ δύναμις acquireret totique impertiret reipublicae, uberrime id edocuit decem Ethicorum libris. *Scimus* ergo, illud quid sit. At vero τῇ πολιτικῇ δυνάμει non *discere et scire* propositum est sed *agere atque efficere*. Neque enim sola scientia summum bonum ipsi iam adepti sumus vel aliis tribuimus. Quod quibus rebus, quomodo possimus, Politicorum libris expositurum esse Aristotelem ex totius operis dispositione iam suspicari possumus. Sed audiamus Aristotelem ipsum.

1) Eth. Nic. X. 7. 2) ibid. X. 7. 8. 9.

CAPUT IV.

Quonam proposito Aristoteles ad alteram totius operis partem, quae Politicorum libris continetur, tractandam accesserit.

§. 9.

Ad Politicorum libros Aristoteles sibi transitum parat ultimo Ethicorum capite. Ad aliam enim disputationis partem transgressurus aperire solet, quid et quale sit id, quod sequentibus libris capitibusve aut explicare velit aut demonstrare. Illo igitur capite quid dixerit, diligentissime considerandum est.

§. 10.

De Eth. Nic. libri decimi capite decimo.

In ultimo Ethicorum capite primum quaeritur, quid sit *quo et virtutem colamus ipsi et alios bonos probosque reddamus.* Tres igitur afferuntur res, quibus homines boni evadant, natura, doctrina, consuetudo. Quales natura gigneremur in nostra nunquam potestate positum fuit. Doctrina vero non valet nisi in eis, qui quibus rebus recte gaudeant et doleant, perspectum habent[1]). Recte autem ut gaudeant doleantque, effici sola consuetudine potest. Nam qui pravis voluptatibus fruitur, doctrinamque aut omnino non percipit aut ei non obtemperat, is vi cogendus est, ut honesta faciat, fugiat turpia. Ad virtutem autem quum mores ante accommodandi sint, quam ea ipsa possit oriri: pueri recte necesse est educentur atque erudiantur, id quod fieri nequit nisi rectis constitutis legibus. At vero non solum ad puerorum educationem necessariae leges sunt, sed etiam ad coercendos adultos. Plerique enim non tam pudore quam timore ducuntur, magisque a turpitudine poenarum metu revocantur quam amore honestatis, ac necessitate magis ad

1) Eth. Nic. I. 1; X. 10.

recte faciendum quam ratione impelluntur. Homines autem ut sponte aut etiam inviti recte agant, aliter fieri non potest, nisi vitam degant secundum mentem quandam constitutionemque rectam et vi valentem. (*βιούμενοι κατά τινα νοῦν καὶ τάξιν ὀρθήν, ἔχουσαν ἰσχύν.*

Quibus rationibus postquam leges et ad pueros educandos et ad totam vitam regendam necessarias esse comprobavit: revertitur ad primae aetatis institutionem, quae si communis sit quantas afferat utilitates, breviter docet, ut ad summam statim quaestionem progrediatur. Est vero haec: *unde quis aut quomodo bonus evadat legumlator?* Cui quidem respondere quaestioni non videtur difficile. Nam legumlatio, ut pars *τῆς πολιτικῆς δυνάμεως*, ab eis discenda est qui politicen factitant. At ea se res aliter habere videtur. Nam politici qui artem factitarunt, ut ad eam ipsi non doctrina instituti sunt, sed experientia; ita neque aliis doctrinam tradiderunt nec quidquam ea de re scriptum reliquerunt. Contra politicen qui profitentur doctrinam, eorum nemo artem ipsam efficit. Praeterea nec qualis sit ars, exploratum habent, nec quibus in rebus versetur. Etenim existimant eandem esse politicen cum rhetorice vel potius humiliorem. Neque leges ferre difficile esse ei, qui optimas collegerit. Quasi ad seligendas leges optimas nullo opus sit iudicio, quod praeter eum qui *πολιτικὴν* doctus est, nemo habere potest. Eiusmodi legum formarumque reipublicae collectiones quandam utilitatem quidem afferunt eruditis, ineruditis prorsus nullam. Iam sequitur Aristotelis propositum; his quidem verbis: *Παραλιπόντων οὖν τῶν προτέρων ἀνερεύνητον τὸ περὶ τῆς νομοθεσίας, αὐτοὺς ἐπισκέψασθαι μᾶλλον βέλτιον ἴσως, καὶ ὅλως δὴ περὶ πολιτείας, ὅπως εἰς δύναμιν ἡ περὶ τὰ ἀνθρώπινα φιλοσοφία τελειωθῇ. Πρῶτον μὲν οὖν εἴ τι κατὰ μέρος εἴρηται καλῶς ὑπὸ τῶν προγενεστέρων πειραθῶμεν ἐπελθεῖν, εἶτα ἐκ τῶν συνηγμένων πολιτειῶν θεωρῆσαι τὰ ποῖα σώζει καὶ φθείρει τὰς πόλεις καὶ τὰ ποῖα ἑκάστας τῶν πολιτειῶν, καὶ διὰ τίνας αἰτίας αἱ μὲν καλῶς*

αἱ δὲ τοὐναντίον πολιτεύονται· θεωρηθέντων γὰρ τούτων τάχ' ἂν μᾶλλον συνίδοιμεν καὶ ποία πολιτεία ἀρίστη καὶ πῶς ἑκάστη ταχθεῖσα καὶ τίσι νόμοις καὶ ἔθεσι χρωμένη. Λέγωμεν οὖν ἀρξάμενοι. Haec verba, quibus Aristoteles magnum illud quod in Politicorum libris secuturus esset consilium concepit, deinceps accuratissime disquirantur.

§. 11.

De Aristotelis consilio ex eius ipsius verbis cognoscendo.

Τῇ πολιτικῇ πραγματείᾳ ut supra diximus Aristoteles disserere voluit de rebus humanis (*περὶ τὰ ἀνθρώπινα*) vel de *πολιτικῇ δυνάμει*, quae quasi finem propositum habet summum bonum humanum. Quod quid et quale sit, quum in Ethicis explanaverit, finem quidem *τῆς πολιτικῆς* monstravit, sed ad absolvendam de politice disputationem exponatur necesse est, *qua eum ad finem via perveniatur.* Hoc igitur Aristoteli explicandum fuit, ut consilium exequeretur totius operis, quo totam artem politicam complecti eumque quem sibi finxerat adulescentem verum politicum reddere constituerat. Quibus ex rationibus efficitur, *in Politicorum libris conscribendis id Aristoteli fuisse propositum, ut philosophiam de rebus humanis ad finem perduceret* (*ὅπως εἰς δύναμιν ἡ περὶ τὰ ἀνθρώπινα φιλοσοφία τελειωθῇ*) *v. ut totam doceret artem politicam, cuius finem ante explicaverat v. quod idem est, ut ostenderet qua illum ad finem via perveniretur.* Aristotelis consilium ita adumbrari quidem, nec tamen quasi perfecta effigies ante oculos poni potest, nisi eius ipsius verbis accuratius consideratis.

§. 12.

De verbis: *Παραλιπόντων οὖν τῶν προτέρων ἀνερεύνητον τὸ περὶ τῆς νομοθεσίας, αὐτοὺς ἐπισκέψασθαι μᾶλλον βέλτιον ἴσως.*

In earum rerum numero, quibus ad politices finem consequendum adiuvamur, primum locum obtinent leges. Quae quomodo ad virtutem conferaut, quum ex eo coniicere

possumus, quod virtutes morales exercitationem requirunt et assuetudinem, tum discimus ex ultimo Ethicorum capite. At leges, quibus cives boni reddantur, rectae sint necesse est [1]). Quare de rectis legibus philosopho ita disserendum est, ut iuvenes νομοθετικοὶ evadant i. e. ut leges rectas condere possint. Totum autem de legumlatione locum quum a maioribus neglectum videret, *ipse non solum de optimis rectisque legibus ferendis disserere constituit sed de legibus simpliciter, de legumlatione in universum. Παραλιπόντων οὖν τῶν προτέρων ἀνερεύνητον τὸ περὶ τῆς νομοθεσίας, αὐτοὺς ἐπισκέψασθαι μᾶλλον βέλτιον ἴσως.*

§. 13.

De verbis: *ἐπισκέψασθαι μᾶλλον βέλτιον ἴσως καὶ ὅλως δὴ περὶ πολιτείας.*

Altero loco eis in rebus, quibus ad finem τῆς πολιτικῆς perducimur, nominanda est civilis communitas v. respublica. Nam virtutes morales, legitima educatione natas, exercitatione auctas nemo tamen colere et ut ita dicam efficere potest, nisi in civitate vivat coniunctusque cum civibus sit αὐτάρκης (cf. §. 6.) [2]). De republica igitur exspectandum est Aristotelem expositurum, et quum cives nisi bonae reipublicae non sint boni, de bona v. de optima. Quae exspectatio eo quoque confirmatur, quod de legibus exponere constituit. Locus enim de legibus ita cum quaestione de republica coniunctus est, ut tractari nullo modo possit, nisi etiam de republica et de magistratibus dicatur [3]). Haec ex rei natura; iam audiamus philosophum ipsum. Legumlatio, ait, quae sit pars τῆς πολιτικῆς, cuius quasi opera sint leges, discenda est a politicis. Sed artem, quum ei qui factitarent politici non traderent, qui autem profiterentur,

---

1) Eth. Nic. X. 10. 2) ibid. X. 7.

3) Praeclare Cic. de legg. III. 1. „Ut enim magistratibus leges, ita populo praesunt magistratus; vereque dici potest magistratum legem esse loquentem, legem autem mutum magistratum."

de ea ipsi in maximis versarentur erroribus: Stagirites *non solum de legibus dicere sibi proposuit sed etiam de republica simpliciter. Αὐτοὺς ἐπισκέψασθαι μᾶλλον βέλτιον ἴσως καὶ ὅλως δὴ περὶ πολιτείας, ὅπως εἰς δύναμιν ἡ περὶ τὰ ἀνθρώπινα φιλοσοφία τελειωθῇ.*

Dicturus est igitur Aristoteles non de bona, non de optima republica solum (qua de re disputationem sane exspectandam esse vidimus), sed de reipublicae generibus quum bonis tum malis, de republica simpliciter. Neque igitur *de optima civitate* solum vel *eius de effigie,* ut in *Πολιτείᾳ* Plato, neque solum *de reipublicae statu, qui ad hominum vitam et ad eas quibus vulgo utuntur reipublicae formas propius accedit,* ut idem Plato in Legum libris[1]) neque *de una tantum reipublicae forma* disputare constituit, sed *περὶ πολιτείας, de republica simpliciter*[2]), *de reipublicae generibus, de omnibus rebuspublicis.* Quae quum ita sint, a superioribus Aristotelis consilium eo differt, quod isti de una tantum republica aut optima aut alia certisque de legibus scribere in animo habuerunt, hic de legumlatione et de republica simpliciter[3]). Qua de causa in Politicis ubicunque totius operis consilium aperit, verbis *περὶ πολιτείας* utitur, neque *τινὸς* pronomine apposito neque ullo adiectivo. Eiusmodi locos adscribere liceat:

Pol. III. 1. *Τῷ περὶ πολιτείας ἐπισκοποῦντι, καὶ τίς ἑκάστη καὶ ποία τις, σχεδὸν πρώτη σκέψις περὶ πόλεως ἰδεῖν τί ποτ' ἐστὶν ἡ πόλις.*

Pol. IV. 8. *Τελευταῖον δὲ περὶ τυραννίδος εὔλογόν ἐστι ποιήσασθαι μνείαν, διὰ τὸ πασῶν ἥκιστα ταύτην εἶναι πολιτείαν, ἡμῖν δὲ τὴν μέθοδον εἶναι περὶ πολιτείας.*

---

1) cf. Brandis. Handbuch der Geschichte der Griechich-Römischen Philosophie. II. Thl. I. Abth. p. 540 sqq.

2) Ut nos dicimus: „Ueber Gesetzgebung und Staat" non vero: „Ueber den besten" oder „über den dem Leben mehr angepassten" oder „über irgend einen bestimmten Staat und eine bestimmte Gesetzgebung".

3) Itaque iure dicere potuit, eam esse rem a prioribus omissam Eth. Nic. X. 10.

Cui loco respondent haec: Pol. IV. 10. *Περὶ δὲ τυραννίδος ἦν ἡμῖν λοιπὸν εἰπεῖν, οὐχ ὡς ἐνούσης πολυλογίας περὶ αὐτήν, ἀλλ' ὅπως λάβῃ τῆς μεθόδου τὸ μέρος, ἐπειδὴ καὶ ταύτην τίθεμεν τῶν πολιτειῶν τι μέρος*[1]).

Praeterea velim conferas Pol. IV. initium. Quorum locorum eo quoque augetur vis, quod ad indicandum Platonis consilium vel aliorum, qui de certo reipublicae statu scripserunt, nunquam verba *περὶ πολιτείας* adhibet sed alia.

Pol. I. 13. *καὶ πρῶτον ἐπισκεψώμεθα περὶ τῶν ἀποφηναμένων περὶ τῆς πολιτείας τῆς ἀρίστης.*

Pol. II. 1. *Ἐνδέχεται γὰρ καὶ τέκνων καὶ γυναικῶν καὶ κτημάτων κοινωνεῖν τοὺς πολίτας ἀλλήλοις, ὥσπερ ἐν τῇ πολιτείᾳ τῇ Πλάτωνος.*

Pol. II. 5. *Ἡ μὲν οὖν πολιτεία, περὶ ἧς ὁ Σωκράτης εἴρηκεν, ταύτας τε τὰς ἀπορίας ἔχει καὶ τούτων οὐκ ἐλάττους ἑτέρας.*

Pol. II. 6. *Σχεδὸν δὲ παραπλησίως καὶ περὶ τοὺς νόμους ἔχει τοὺς ὕστερον γραφέντας· διὸ καὶ περὶ τῆς ἐνταῦθα πολιτείας ἐπισκέψασθαι μικρὰ βέλτιον.*

Pol. II. 6. s. f. *Τὰ μὲν οὖν περὶ τὴν πολιτείαν τὴν ἐν τοῖς νόμοις τοῦτον ἔχει τὸν τρόπον.*

Pol. II. 7. *Περὶ μὲν οὖν τῆς Φαλέου πολιτείας κ. τ. λ.*

Pol. II. 8. *Ἱππόδαμος . . . . ἐνεχείρησέ τι περὶ πολιτείας εἰπεῖν τῆς ἀρίστης*[2]).

---

1) Addendus est locus in omnibus et codicibus et editionibus corruptus: Pol. I. 13. *Ἀλλὰ περὶ μὲν τούτων διωρίσθω . . . . . καὶ πῶς δεῖ τὸ μὲν εὖ διώκειν τὸ δὲ κακῶς φεύγειν ἐν τοῖς περὶ τὰς πολιτείας ἀναγκαῖον ἐπελθεῖν·* Legendum est: *ἐν τοῖς περὶ πολιτείας*. Genitivum enim verbis *ἐν τοῖς περὶ* et *ἐν τῷ περὶ* adiungi, multis comprobatur exemplis, quae apud Aristotelem in promptu sunt. Unum quidem, ubi accusativus cum verbis *ἐν τοῖς περὶ* coniunctus est, locum inveni mihi sane suspectum. Pol. IV. 3.: *κἂν εἴ τι δὴ τοιοῦτον ἕτερον εἴρηται πόλεως εἶναι μέρος ἐν τοῖς περὶ τὴν ἀριστοκρατίαν.*

2) *Περὶ πολιτείας* de republica simpliciter etiam alii dixisse videntur. cf. Pol. IV. 1.: *οἱ πλεῖστοι τῶν ἀποφαινομένων περὶ πολιτείας.*

At vero sunt alii loci, quibus ut de optima republica dicat, sibi propositum esse ait. Qui utrum de Politicorum consilio sententiam meam refutent, an aliqua operis parte de optima republica disputetur, postea videbimus. Iam de legumlatione et de republica simpliciter quomodo dicere in animo habuerit, quaeramus, sed paucis.

§. 14.

De verbis: *Πρῶτον μὲν οὖν εἴ τι κατὰ μέρος εἴρηται καλῶς ὑπὸ τῶν προγενεστέρων πειραθῶμεν ἐπελθεῖν.*

Primum igitur philosophus investigare conabitur, numquid a superioribus recte sit dictum, et quidem *κατὰ μέρος* (i. e. ab alio aliud).

§. 15.

De verbis: *Εἶτα ἐκ τῶν συνηγμένων πολιτειῶν θεωρῆσαι τὰ ποῖα σώζει καὶ φθείρει τὰς πόλεις καὶ τὰ ποῖα ἑκάστας τῶν πολιτειῶν καὶ διὰ τίνας αἰτίας αἱ μὲν καλῶς αἱ δὲ τοὐναντίον πολιτεύονται.*

Deinde *ἐκ τῶν συνηγμένων πολιτειῶν* dispicere studebit, quid civitates conservet aut corrumpat et qualia singulos reipublicae status, et quibus de causis alii bene, alii contra gubernentur. Quibus in verbis quonam referendae sint *συνηγμέναι* illae *πολιτεῖαι*, si quaerimus, valde inter se dissident interpretes. Thomas Aquinas et eum qui secuti sunt de eis cogitarunt rebuspublicis, quae in genera et species distribuuntur Pol. III. IV. V. VI. At vero neque verbis *συνηγμένων πολιτειῶν* ea interpretatio neque rebus ullo modo convenit. Nam libro III. non unum in locum coguntur (*συνάγονται*) respublicae, sed distribuuntur; neque reliquis libris quod conservet aut tollat civitates earumque status, id quid sit »ex rebuspublicis“ disquiritur, sed statuum ipsorum qui conservent civitates, quinam corrumpant docetur. Quare illa explicatione reiecta, alteram proposuit

Conringius[1]). Is *συνηγμένας πολιτείας* de opere illo *Πολιτείαις* inscripto intellexit, quo omnes omnium populorum respublicae conscriptae erant. Sed neque hanc sententiam meam facere possum, quum *Πολιτείαι*, quod unum fuit separatumque opus, librorum de republica pars esse non potuerint[2]). Hanc autem *ἐκ τῶν συνηγμένων πολιτειῶν* disputationem partem librorum de republica fore necessariam, ex verbis elucet sequentibus *θεωρηθέντων γὰρ τούτων τάχ' ἂν μᾶλλον συνίδοιμεν κ. τ. λ.*

Iam ut sententiam meam aperiam, id mihi mirum videtur, quomodo eum, qui quae praecedunt attente legerit, verborum *συνηγμένων πολιτειῶν* significatio fugere potuerit. Leges enim condere ei non esse difficile, qui earum collegisset probabiliores (*τῷ συναγαγόντι τοὺς εὐδοκιμοῦντας τῶν νόμων*), opinio erat sophistarum. Ex collectis enim seligere et condere leges optimas idem esse. Quod refutans Aristoteles probabilium legum collectionem comparat cum medicorum syngrammatis, quae quum sint perito utilia, neque imperito prodesse, neque efficere quenquam possint medicum. Sequuntur haec: *Ἴσως οὖν καὶ τῶν νόμων καὶ τῶν πολιτειῶν αἱ συναγωγαὶ τοῖς μὲν δυναμένοις θεωρῆσαι καὶ κρῖναι τί καλῶς ἢ τοὐναντίον καὶ ποῖα ποίοις ἁρμόττει εὔχρηστ' ἂν εἴη· τοῖς δ' ἄνευ ἕξεως τὰ τοιαῦτα διεξιοῦσι τὸ μὲν κρίνειν καλῶς οὐκ ἂν ὑπάρχοι, εἰ μὴ ἄρα αὐτόματον, κ. τ. λ.* Quo loco *τὰς τῶν νόμων καὶ τῶν πολιτειῶν συναγωγὰς* perspicuum est significare non omnium legum statuumque reipublicae collectiones, sed probabilium. Dixit enim de probabilibus legibus, non de omnibus colligendis. Praeterea ut non omnium formularum, sed probatarum syngrammata medicis utilia sunt; ita legum rerumque publicarum collectiones nisi probabilium non sunt usui politicis. Neque vero id

1) Conring. Introd. in Pol. Arist. IV. §. 4. 5.

2) Inter collectionem praeceptorum rhetoricorum (cf. Cic. de inv. II. 2.) et inter Rhetorica ipsa eadem ratio intercessisse videtur; neque illa pars fuit Rhetoricorum, sed opus separatum.

me movet, quod probabilibus rebuspublicis quaedam infuerunt, quae probari minus possent. Id enim contra argumentationem meam valeret, si Aristoteles reipublicae statum probabilem nullum esse nisi eum putasset, cuius nulla omnino vituperanda essent instituta; aut iudicasset ullam unquam esse aut fuisse rempublicam omni ex parte bonam. Quum autem verba αἱ τῶν πολιτειῶν συναγωγαὶ sint de probabilium rerumpublicarum collectionibus intelligenda, consentaneum est eandem esse sententiam verborum, quae uno enuntiato interposito sequuntur, τῶν συνηγμένων πολιτειῶν. Quae si vera non essent, scriptor negligentiae arguendus esset. Nullo enim verbo significavit συναγωγὰς τῶν νόμων καὶ τῶν πολιτειῶν et συνηγμένας πολιτείας non esse ex eadem norma collectas, qua in legibus conscribendis usos esse dixit sophistas [1]). Ut autem omnia quae dicta sunt complectamur, *Aristoteles de legumlatione et de republica simpliciter disputaturus eo animo fuit eoque consilio, ut primum investigaret, numquid a prioribus recte dictum esset, et quidem κατὰ μέρος, deinde ut ex collectis probabilibus rebuspublicis* (neque eis a philosophis propositis, sed ex vita hominum conquisitis) *dispiceret, et qualia civitates, et qualia singulos reipublicae status conservarent aut corrumperent, et quas ob causas alii status bene, alii contra gubernarentur.*

§. 16.

De verbis: *θεωρηθέντων γὰρ τούτων τάχ᾽ ἂν μᾶλλον συνίδοιμεν καὶ ποία πολιτεία ἀρίστη.*

»His enim perspectis, magis cognoscemus, qualis respublica sit optima«. Primum igitur philosophus disserere

---

1) Ex perfecto συνηγμένων probabile est, sophistas iam tum eas, quas pro bonis habuissent res publicas, conscripsisse easque (id quod ex hoc loco videre licet, quo αἱ συνηγμέναι πολιτεῖαι rebus publicis opponantur fictis a philosophis) ex vita hominum sumptas, non ex philosophorum libris.

constituitde optima republica (id quod supra §. 13. faciendum ei esse demonstravimus, nisi totam *πολιτικὴν πραγματείαν* inchoatam relinquere vellet). Ei autem, qui de optima republica disputationem institueret, quibus de rebus dicendum esset, ignorare aequalium nemo potuit, nisi quod de eadem re priores scripsissent, nesciret. Nam Plato et alii in libris de optima republica non modo ostenderunt, eius quinam esset status aut per quos regendus, verum etiam quid esset optimae reipublicae propositum, explicarunt eique leges accommodarunt optimas, dixeruntque de agrorum distributione, de puerorum educatione, aliis rebus. Quas autem res, qui priores de optima republica scripsere, sibi tractandas sumpserunt, easdem eadem de re disputans tractabit etiam Aristoteles, modo ea exceperis, quae iam antecedentibus Ethicorum libris et prima de diiudicandis rebuspublicis disputatione absolverit. Recte idem nos exspectamus quum praesertim demonstraturum se polliceatur, singularum rerumpublicarum qualia sint instituta, leges, mores, disciplinae (*καὶ πῶς ἑκάστη ταχθεῖσα καὶ τίσι νόμοις καὶ ἔθεσι χρωμένη*). Quae exspectatio fallatne nos an non, videbimus. Goettlingium[1]) certe si audimus, fallemur. »Philosophum reipublicae optimae exemplar in medium prolaturum« negat. At vero in promptu sunt in libris Politicorum loci, qui de optima republica propositam esse quaestionem indicant. Veluti: Pol. II. 1. *Ἐπεὶ δὲ προαιρούμεθα θεωρῆσαι περὶ τῆς κοινωνίας τῆς πολιτικῆς, ἡ κρατίστη πασῶν τοῖς δυναμένοις ζῆν ὅτι μάλιστα κατ᾽ εὐχήν, κτλ.* Pol. III. 18. *Διωρισμένων δὲ τούτων περὶ τῆς πολιτείας ἤδη πειρατέον λέγειν τῆς ἀρίστης τίνα πέφυκε γίνεσθαι τρόπον καὶ καθίστασθαι πῶς.* Neque tamen eiusmodi locis dissolvitur id quod supra probavimus, Politicorum libris de republica simpliciter Aristotelem, non de optima solum dicturum. Neque enim toto opere, sed parte quadam de optima agit civitate,

1) Goettling. Arist. Pol. libri VIII. Jenae 1824. in praefat. p. XVIII.

toto vero opere de republica simpliciter, quod quidem eo quoque comprobabitur, quod iam dicendum est.

§. 17.

De verbis *θεωρηθέντων γὰρ τούτων τάχ᾽ ἂν μᾶλλον συνίδοιμεν καὶ πῶς ἑκάστη (πολιτεία) ταχθεῖσα καὶ τίσι νόμοις καὶ ἔθεσι χρωμένη.*

»His enim dispectis cognoscemus magis, et quomodo unaquaeque civitas descripta sit, et quibus legibus consuetudinibusque utatur. »Quibus ex verbis elucet praeter optimam civitatem Aristotelem definire constituisse cuiusque reipublicae descriptionem, leges, consuetudines. Qua quidem re quum confirmatur quod diximus, eum eo consilio ad Politicorum libros perrexisse, ut de republica simpliciter exponeret; tum stabilitur sententia, quam de optimae reipublicae legibus civiumque educatione proposuimus (§. 16.). Nam de uniuscuiusque reipublicae legibus si dicturus est, quis eum opinabitur silentio praeteriturum leges, mores, disciplinam civitatis optimae. — Accuratius quid expectandum sit, definire poterimus, si ad Ethicorum libros respexerimus. Ostendit enim philosophus Eth. Nic. VIII. 12. tria esse rerumpublicarum genera proba, imperium regis, optimatium, populi, totidemque perniciosa, imperium tyranni, paucorum, plebis. Ex his generibus sex unum sive cum Platone duo sive tria proba optimae reipublicae vindicabit, deinde de eius institutis, legibus, disciplina disputabit, post eodem modo de ceteris. Reliquum est, ut dicamus

§. 18.

De verbis ultimis: *Λέγωμεν οὖν ἀρξάμενοι.*

Quae verba cur philosophus in Ethicorum fine posuerit, perquirere ab hoc loco non alienum esse videtur. Id quidem illum eam ob causam fecisse dicunt Graecus scholiasta et Thomas Aquinas, ut artissimo vinculo cum Ethicis Politica esse coniuncta significaret, quum Ethicorum finis

Politicorum sit principium[1]). Quod quanquam verum est: quum satis tamen superque et ex Ethicorum initio et ex toto libri X. capite X. appareat, non dubito aliam quaerere causam. Quam enim ad rem scriptorem statim transiturum esse exspectemus? Qui neque Politica neque eius ex libris alium unquam legerit: »Certe ad id«, inquiet, »quod primo loco posuit, ad disquirendum, numquid a prioribus recte sit dictum.« At hac in re qui Aristotelis exploratam habet consuetudinem, etiamsi I. Pol. librum nunquam inspexerit, is idem cum illo se exspectare negabit. Solet enim omnium fere disputationum ita initium ponere, ut de eis, quae sibi proposita esse dixit, non statim quaerat, sed ut ab alia re incipiat non inepta. Quam igitur in disputationibus tenuit consuetudinem, ab ea certe non recessurus est, quum alterius Politicorum partis initium est facturus. Ne tamen quid lectoribus veniat inexspectatum, non ab indicata re sed ab alia initium se sumpturum significare solet his verbis: (Pol. I. 9.) *Λάβωμεν δὲ περὶ αὐτῆς τὴν ἀρχὴν ἐντεῦθεν.* (Pol. II. 1.) *Ἀρχὴν δὲ πρῶτον ποιητέον ἥπερ πέφυκεν ἀρχὴ ταύτης τῆς σκέψεως.* (Eth. Nic. VII. 1. Pol. I. 13.) *ἄλλην ἀρχὴν ποιησάμενοι λέγωμεν.* (Pol. IV. 4.) *Λέγωμεν ἀρχὴν λαβόντες τὴν εἰρημένην πρότερον.* (Pol. IV. 14.) *Λέγωμεν . . λαβόντες ἀρχὴν τὴν προσήκουσαν αὐτῶν.*

Hoc loco, ne quid praeter exspectationem proferat, se ad eam rem quam promisit non statim accessurum indicat verbis: *Λέγωμεν οὖν ἀρξάμενοι*[2]).

---

1) Uterque ad h. l.

2) Verba *λέγωμεν οὖν ἀρξάμενοι* idem declarant, quod *λέγωμεν οὖν ἀρχὴν ποιησάμενοι* i. e. dicemus initium facientes; dicemus, sed initium praeponemus.

PARS ALTERA.

Qua ratione Aristoteles susceptum consilium in eis quos hodie legimus Politicorum libris persecutus sit, ita disquiratur, ut quae sunt de singulorum et librorum et capitum integritate, ordine et dispositione controversiae, pensitatis ab utraque parte rationibus, exploretur.

CAPUT I.

De Politicorum initio (ἀρχῇ).

Περὶ οἰκονομίας [1]).

§. 19.

Quum civitas ex familiis constet, eiusque virtus in singularum familiarum virtute cernatur: totius de civitate quaestionis quasi quoddam fundamentum est disputatio de familia rebusque domesticis. Quod quidem fundamentum positum esse ab Aristolele videmus libro primo. Is enim eum quum teneret morem, ut rerum compositarum simplices investigaret partes; de legumlatione et gubernatione civitatium dicturus, primum de earum partibus, de familiis, exponere constituit. Et profecto id eum facere oportuit. Nam familiae nisi recte se habent, ne civitas quidem bene se ha-

---

1) Pol. I. 3.: *Ἐπεὶ δὲ φανερὸν ἐξ ὧν μορίων ἡ πόλις συνέστηκεν, ἀναγκαῖον περὶ οἰκονομίας εἰπεῖν πρότερον.* Pol. III. 6.: *Εἴρηται δὴ καὶ κατὰ τοὺς πρώτους λόγους, ἐν οἷς περὶ οἰκονομίας διωρίσθη καὶ δεσποτείας.*

bere ullo modo potest. Quid enim? servi durius tractati si heris resistunt ab eisque deficiunt, nonne tota turbabitur respublica? Singulae domus si incuria patrumfamilias ad egestatem redactae sunt; fierine potest, ut necessarios sumptus tota sustineat civitas? Quid denique civitati tam exitiosum accidere potest tamque pestiferum, quam si ea, quae inter maritum et coniugem, parentes inter et liberos est, coniunctio ac necessitudo leges negligit a natura sancitas?

Huc accedit, quod, ut ex animi partibus Plato diversa rerumpublicarum genera duxit et explicavit, ita Aristoteles civitatium quasi simulacra cerni statuit in familia[1]). His fere rationibus ductus Politicorum initio Aristoteles scribere sibi proposuit de οἰκονομικοῖς[2]) i. e. *de imperio patrisfamilias in uxorem, liberos, servos et de re familiari administranda*[3]). Haec de libri I. cum ceteris coniunctione de eiusque argumento[4]). Iam dicendum est

§. 20.

De libri I. dispositione.

Politica Aristoteles ita exorditur, ut breviter commemoret, quod Eth. Nic. VIII. 11. uberius explicavit, communitatem civilem alias societates et continere et superare, eamque quasi finem propositum habere summum bonorum

---

1) cf. Eth. Nic. VIII. 12. Pol. I.

2) Οἰκονομικῶν libros II, qui inter Aristotelis scripta leguntur, a Theophrasto originem ducere liquet ex testimonio Herculani nobis servato (Philodem. in Herculanens. volum. tom. III. col. VII. et XXVII.). cf. Brandis „Rhein. Mus." I. p. 260. — Ceterum in libro priore et in alterius cap. I. vix quidquam reperitur, quin sit in Aristotelis Ethicis et Politicis aut significatum aut expositum.

3) De verbi οἰκονομικὸς significatione cf. Pol. III. 6.: Ἡ δὲ τέκνων ἀρχὴ καὶ γυναικὸς καὶ τῆς οἰκίας πάσης, ἣν δὴ καλοῦμεν οἰκονομικήν.

4) Recte Spengelius (Ueber die Pol. des Arist. p. 9.): „Das erste Buch enthält (demnach) nichts als die οἰκονομική als Uebergangspunkt zur Politik".

omnium [5]). Iam disputationem de oeconomicis ingressurus id verum esse negat, quod alii philosophi arbitrati sint, εἴδει inter se diversos non esse πολιτικόν, βασιλικόν, οἰκονομικόν, δεσποτικόν. Qui quomodo inter se differant, considerandis civitatis elementis videbimus, et ecquid τεχνικὸν de horum quoque indagari possit (Pol. I. 1.).

Itaque a prima congressione maris et feminae deinde a progenie et cognatione orsus, ex eo quod familia, cuius finis et perfectio est civitas, natura orta est, demonstrat natura, non hominum inventione existere civitatem. Familiam autem singulosque homines φύσει posteriores esse dicit, quam civitatem. Nam familia quum sit pars, toto sublato, tollitur; et quum sit civitatis pars, quasi finem eam in se inclusam tenet. Quare sine toto nec sibi sufficiet, nec omnino pars est, quum a toto disiuncta partis opus efficere non possit.

Dein ita ad rem ipsam propius accedit, ut simplicem civitatis partem, *familiam*, dividat in elementa, qui sunt *herus et servus*, *coniux et uxor*, *pater et liberi*.

Quorum elementorum quid quodque sit et quale esse oporteat, deinceps dicere constituit in disputationibus de δεσποτικῇ, de γαμικῇ, de πατρικῇ. Accedit autem res familiaris quasi IV. quoddam elementum, in quo ἡ χρηματιστικὴ versatur. Quae quum aliis ipsa οἰκονομία esse, aliis eius pars maxima videatur, quomodo se habeat consideranda est.

§. 21.

De δεσποτικῇ.

Primum igitur quum sit de hero et servo dicendum, et utrum opus sit servis necne quaerit, et ecquid de eis,

5) Quam Schleiermacherus (Zur Philosophie III. p. 311.) h. l. deesse putat Eth. et Pol. coniunctionem, ea est in Pol. prooemio i. e. in ultimo Eth. capite. Aristoteles si item in Pol. I. ad Eth. respexisset, nimius fuisset. — Quae de diversis societatibus earumque finibus h. l. desideravit Conringius (Arist. Pol. libri sup.) legere poterat Eth. Nic. VIII. 11.

3

quam quod vulgo credatur, melius investagari possit. Fuerunt enim, qui *δεσποτείαν* scientiam esse putarent nec discrepare ab *οἰκονομίᾳ*, *πολιτικῇ*, *βασιλικῇ*. Fuerunt, qui lege, non natura alium servum esse dicerent alium liberum (Pol. I. 3.).

Servus igitur mancipium est patrifamilias ad munus probe fungendum necessarium. Est enim instrumentum quoddam *πρακτικόν*, quo utitur vita quae *πρᾶξις* est, non *ποιητικόν*. Is autem natura ita generatus est, ut servus fiat, qui non sui ipsius, sed prorsus alterius est i. e. qui homo quidem, sed mancipium [1] (Pol. 1. 4.).

Sed quaeritur, sitne aliquis natura ita comparatus, eidemque utrum utile sit servire et aequum, annon. Quicunque igitur natura aut voluntate inter se coniuncti sunt, ut unum quoddam opus efficiant: non solum eorum alii imperent oportet, alii pareant, sed ex eo ipso etiam magnam utilitatem percipiunt. Argumento est ipse homo, cuius animo corpus, cuius menti cupiditates obtemperant, et id ipsum eis quae parent secundum naturam est et utile. Neque animalibus contra naturam est aut inutile, in servitute esse hominum; neque uxori, obtemperare voluntati mariti. Quae eadem ratio necesse est latius pateat ad omnesque pertineat homines. Quisquis enim ab aliis hominibus tantum differt, quantum corpus ab animo, animal ab homine: is natura est servus servituteque adiuvatur. Nam inter talem hominem et animalia id unum interest, quod hic alterius rationem (quam non habet ipse) percipere et sequi potest, illa sequuntur cupiditates. Hominem igitur sic affectum qui in sevitutem redigat, eum iniuste facere quis opinetur? Quid? si quantum animi, tantum corpora distarent, ut deorum figuris liberi similes esse, servi dissimiles viderentur, quis

---

1) Pol. I. 4. *ὁ μὴ αὑτοῦ φύσει ἀλλ' ἄλλου, ἄνθρωπος δέ, οὗτος φύσει δοῦλός ἐστιν. Ἄλλου δ' ἐστὶν ἄνθρωπος, ὃς ἂν κτῆμα ᾖ ἄνθρωπος ὤν. Κτῆμα δὲ ὄργανον πρακτικὸν καὶ χωριστόν.* Pol. 1. 6. *ὁ δὲ δοῦλος μέρος τι τοῦ δεσπότου, οἷον ἔμψυχόν τι τοῦ σώματος κεχωρισμένον δὲ μέρος.*

negaret illos apud hos servire iustum esse? Ergo id certe non iniustum est, quum mentem divinam liberi habeant, servi non habeant (Pol. 1. 5.).

Sed qui servos lege, non natura esse dicunt, recte illi quidem; si loquuntur de eis, qui natura liberi iniusto bello in servitutem redacti sunt: sin de omnibus, a veritate aberrant. Neque enim liberi, in servitutem abducti pro servis unquam habendi sunt, quum natura servi non sint. At vero alii servi sunt secundum naturam; eisque quum bellum optimo iure infertur, tum iustum est et utile servire.

Quibus expositis, apparet et a *πολιτικῇ* discrepare *δεσποτείαν*, quum altera imperium sit in liberos, in servos altera et *οἰκονομικὴν* aliam esse ac *πολιτικήν*, quum sit illud unius imperium in inaequales, hoc aequalium imperium.

Ita Aristoteles quaestiones de simplicibus reipublicae partibus et de *δεσποτικῇ* disputatione de imperiis quasi circumdedit. Nam quod ab initio posuit non esse eosdem *πολιτικόν, βασιλικόν, οἰκονομικόν, δεσποτικόν*, ad idem revertitur in fine [1]). Itaque quod promisit (*ὀψόμεθα περὶ τούτων μᾶλλον, τί τε διαφέρουσιν ἀλλήλων*. Pol. I. 1.) effecit simulque dixit de uno familiae elemento, de *δεσποτικῇ*. Restat igitur, ut exponat reliquorum elementorum quid quodque sit, et quale sit oporteat, et quid *τεχνικὸν* de eis in promptu sit. Sed ante *τὸ τεχνικὸν περὶ τὴν δεσποτικὴν* quantulumcunque est profert. Respiciens enim ad id quod nonnulli censuerunt, secundum scientiam esse herum non secundum naturam, est quidem, inquit, quaedam herorum scientia et

---

1) Quod iam medio in libro I. et quasi in transitu disceptatum est, eidemne sint *οἰκονομικός, βασιλικός, πολιτικός*, an non, ex eo perspici potest, non totum in ea una solvenda quaestione versari librum. Neque id verum est, quod nonnulli, illud *λέγωμεν οὖν ἀρξάμενοι* (cf. §. 18.) quid sibi vellet non assecuti, primo statim libro dixerunt Aristotelem, quum Platonis redargueret sententiam, accedere ad diiudicandum, numquid recte dictum esset a superioribus. (Conringii Introd. IV. §. 4.)

servorum. Sciendum est enim alteris, qua ratione ex servis maximam utilitatem capere possint, alteris, quomodo in ministeriis versari debeant. Sed in hac disciplina tradenda, quum magni nihil habeat aut excelsi, non immorandum est. Ac de *δεσποτικῇ*, quae est de servis adhibendis, dictum est (Pol. I. 6. 7.).

Jam de ea arte, quae in eis acquirendis omnique in re familiari versatur, sequitur ut disputetur.

§. 22.

De *χρηματιστικῇ*.

Aristoteles a cap. VIII. principio inquirit, *ἡ χρηματιστικὴ* utrum sit *τῆς οἰκονομικῆς* pars, an ab ea *εἴδει* differat; idem enim esse non possunt, quum alterius sit res familiares comparare, rebus comparatis uti alterius. Sed copiae familiares quum inter se sint diversae compositaeque ex partibus diversis: *ἡ χρηματιστικὴ* quae eas acquirit necesse est diversas habeat partes. Primum igitur consideranda est ea *χρηματιστική*, qua non commercio homines sed sua sibi opera victum quaerunt ex mari et terra. Eiusmodi autem res omnibus tributae esse videntur natura ipsa. Unde sequitur, ut *ἡ χρηματιστική*, quae eas colligit res et apparat, non secundum naturam esse non possit. Neque vero ab hac arte ea separanda est, qua animalia venatione aut bello excipiuntur et homines ad serviendum natura generati. Quae item est secundum naturam. Omnis autem haec *κτητικὴ* (quae est secundum naturam) pars est *οἰκονομικῆς*. Qua qui contenti sunt, veras ei sibi parant rerum utilium divitias, et easdem finitas (Pol. I. 8.).

Est vero genus aliud *χρηματιστικῆς*, quod divitiarum infinitatem quandam appetit. Hoc genus primum natum est ex mercium permutatione. Quae quidem ex eo orta, quod quibus rebus alii abundabant, eisdem alii egebant, non est contra naturam, quum sit ad sufficienter (*αὔταρκες*) vivendum necessaria. Pecunia autem inventa, pravum illud quidem

exstitit *κτητικῆς* genus, quae est mercatura. Quae quum pecuniam non propter usum lucrifaciat, nec satiari potest, neque est aut necessaria aut natura data. Quapropter hoc genus vituperandum, laudandum id quod est *οἰκονομικῆς* pars, quodque ad victum parandum natura ipsa institutum est (Pol. I. 9. 10.).

Expositis eis quae ad cognitionem (*γνῶσιν*) spectant, philosophus dicturum se pollicetur de usu (*χρήσει*). Enumeratis igitur duabus de quibus ante dixit *χρηματιστικῆς* partibus, genus quoddam addit tertium. Quod in medio positum, quum res ad vitam utiles ex terra sumat, cum priore congruit, ab eodem distat, quum non ad familiae usum res comparatas adhibeat, sed vendat pecunia. Cum posteriore autem id ei commune est, quod vendendo utrumque quaestum facit; interest id, quod aliunde res venales alterum emit, alterum ex terra quaerit ipsum. At vero non servat quod promisit, se de usu quaedam allaturum; ea assumi iubet ex aliorum libris de agricultura et de rebus similibus. In hoc enim genere nihil praetermissum esse, nisi quod quum nonnulli maximos quaestus fecissent, eiusmodi exempla non collecta essent. Deinde adscribit ipse duorum hominum exempla, qui sibi *μονοπωλίαν* paraverint. Totam rem ita absolvit, ut etiam politicis haec cognitu utilia esse annotet, quod tum familiis accidat ut pecunia desit, tum etiam civitatibus.

§. 23.

De *γαμικῇ* et *πατρικῇ*.

Duas reliquas *οἰκονομικῆς* partes, *γαμικὴν* et *πατρικήν*, breviter complectitur capite XII. Neque enim sibi non constans rem apertam nec ab ullo homine unquam dubitatam diffusa oratione tractare voluit. Paucis igitur haec docet: „Patremfamilias uxori natisque imperare debere, ut hominibus liberis quidem utrisque, sed uxori *πολιτικῶς*, natis *βασιλικῶς*. Nam praestare natura marem feminae, aetate maiorem perfectumque natu minori et imperfecto.

Imperium autem maris in feminam, id quod eius proprium sit, semper manere nec unquam ut imperia civilia commutari. In natos vero imperium ideo esse *βασιλικόν*, quia isti propter pietatem, reverentiam, aetatem parentibus parere debeant. Nam a liberis natuque minoribus parentes et maiores natu non secus quam reges distare, non quidem genere sed natura". De coniuge et uxore, de patre et liberis quum nemo aliter sensisset, multo brevior disputatio esse potuit, quam de hero et servo. Nam feminas et liberos natura ita generatos esse, ut imperare eis paterfamilias deberet; eisque id ipsum etiam iustum esse et utile, per se quidem inter omnes constabat, id quod in quaestione de servis secus erat.

§. 24.

De curatione servis, uxori, liberis adhibenda.

Aristoteles primum quidem edocet, animata magis curanda esse quam inanimata, magisque consulendum virtuti liberorum quam servorum. Deinde comprobat virtute carere neque eum debere qui imperet, neque eos, qui obtemperent. Iam ab eorum qui parent animo eiusque natura et qualitate profectus inquirit, qualem propriam et suam eorum quisque virtutem habeat. De servorum virtute uberius dicit. Quaestionem vero de uxoris liberumque curatione in alium locum differt. Quod cur ita fecerit, ex eius ipsius verbis (Pol. I. 13.) intelligitur. Quae quidem ita interpretatus sim: „De uxore et marito, de liberis et patre eorumque de virtute et consuetudine (ὁμιλίᾳ) et quid honestum sit quid non, et qua hoc ratione faciendum illud fugiendum, in disputatione de republica dicendum est. Nam quum familia sit reipublicae pars, isti autem ipsius familiae partes, quumque virtus, quae est parti, sit ad totius virtutem referenda: reipublicae ratione habita, pueri mulieresque educandi sunt, siquidem ad civitatis bonitatem mulierum bonitas confert ac puerorum. Conferat autem necesse est. Nam

mulieres liberorum sunt dimidia pars; ex pueris vero evadent, qui reipublicae participes futuri sunt. Itaque istis (de servis) expositis, reliqua dicenda sunt in aliis disputationibus. Has igitur quaestiones quasi ad finem perductas relinquentes novumque facientes initium, primum de eis dicemus, qui de republica scripserunt optima." Quibus ex verbis apparet, cur apte fieri non potuerit, quum de servorum curatione dixisset, ut item de mulieribus liberisque curandis disputaret. Etenim servi, qui non reipublicae sed herorum quasi quaedam partes sunt, heris ad virtutem informandi sunt: at contra uxores et pueri, quum sint liberi, aut sunt aut fiunt partes reipublicae. Itaque cuius socii exstituri sunt ac participes, eidem etiam educandi sunt. Quapropter de liberum educatione simpliciter ante dici nequit, quam de rebuspublicis dictum est; nec de optima educatione ante, quam de optima republica. Praeterea locus de mulieribus educandis tractari non potest, nisi constat prius, et utrum ad fortitudinem sint militaremque virtutem exercendae, et communesne sint habendae an non sint. Quibus rationibus commotus Aristoteles de mulierum puerorumque educatione et virtute et de eorum cum patrefamilias consuetudine se expositurum pollicetur in aliis disputationibus. Cui promisso num in eis quos hodie legimus libris de republica satisfecerit, si quaeris; id negare non dubitat Schneiderus. Verba eius haec sunt[1]): „In eis libris, qui de optima reipublicae forma tractabant, voluit opus propositum exequi, quod an fecerit ignoramus. Certe periit haec librorum pars postrema neque aliunde traditum de praeceptis philosophi eis in libris aliquid accepimus". Quam sententiam ut dissolveret Goettlingius[2]), „pertinere", ait „haec verba ad libros VII. et VIII. Politicorum". Hoc recte; illud secus, quod in Pol. I. 13. nulla de re alia sermonem esse contendit

1) a. v. ἐπελθεῖν in libri II. cap. ultimo.
2) cf. Spengel. (Ueber die Politik des Arist. ann. 11.).

nisi de publica et institutione et educatione. Namque Aristoteles inquirendum esse dicit de uxore et marito, de liberis et patre, de eorum necessitudine, virtute, educatione. Quae quum ita sint, Schneideri sententiam Goettlingius magnam quidem partem, nec tamen idoneis rationibus refutavit. Quod equidem facere conabor. De ὁμιλίᾳ igitur mulierum et liberum quid honestum sit, investigatur in Pol. II. 3. ubi eorum communio utrum sit instituenda, an non sit, quaeritur. Ad mulierum ὁμιλίαν etiam referenda est quaestio de earum syssitiis (Pol. II. 6. et 7.). Ad virtutem autem muliebrem spectat locus, qui est in Pol. II. 9. de effrenata Lacaenarum licentia et intemperantia, Pol. III. 4. de mulierum virtute et officio; spectant omnes ei loci, ubi ostenditur non esse muliebris sexus, bellum gerere et excellere in virtute militari. De coniugis ὁμιλίᾳ, de puerorum et virtute et educatione dictum esse in VII. et VIII. libris, recte affirmavit Goettlingius. Desideratur autem disputatio de mulierum educatione.

§. 25.

De libri I. integritate singulorumque capitum ordine et dispositione.

Politicorum librum I. Aristoteleum esse, quod sciam, nemo unquam negavit. Neque quisquam dubitavit, quin eum quem scriptor ipse instituisset capitum ordinem editiones nostrae exhiberent.

At fuerunt, qui aut totum cap. XI. aut certe duo illa quae in eo afferuntur exempla supposita esse suspicarentur. Sed quod alienum esset ab eo quo usus est Aristoteles peculiari dicendi genere, prorsus nihil invenerunt. Praeterea caput XI. si eiectum esset, necessaria desideraretur oeconomicorum particula. Etenim philosophus si quid τεχνικὸν indagare potuisset, id docere sibi proposuit in Pol. I. 1. De δεσποτικῇ hunc locum quasi perstrinxit cap. VII. quo de scientia heri i. e. de servorum usu dixit. Quid est, cur eundem de χρηματιστικῇ locum praetermiserit? Num

τὸ τεχνικὸν περὶ τὴν χρηματιστικὴν quidquam aliud est, quam id quod ad eius usum pertinet? — Duo autem illa exempla si consideraveris, nec a toto capite divelli posse intelliges neque ea quidquam continere, quod ullam suspicionem afferat.

Annotatio. Per Pol. libros Conringius asteriscos larga manu dispersit. Sed quum plerisque locis ubi lacunas suspicatur scriptoris sententiam non penitus assecutus esse videatur, in eius suspicione depellenda multum et disertum esse nihil attinet. Quos tamen ille in suspicionem vocavit locos, afferam ex eis difficiliores, ut interpreter, corruptos, ut emendem.

His igitur verbis (Pol. I. 6.) ad intelligendum sane difficilibus Conringius apposuit asteriscos: * * * Ἀλλὰ περὶ τοῦ δικαίου μόνον εἶναι τὴν ἀμφισβήτησιν. Διὰ γὰρ τοῦτο τοῖς μὲν εὔνοια δοκεῖ τὸ δίκαιον εἶναι, τοῖς δ'αὐτὸ τοῦτο δίκαιον, τὸ τὸν κρείττονα ἄρχειν, * * * ἐπεὶ διαστάντων γε χωρὶς τούτων τῶν λόγων οὔτ' ἰσχυρὸν οὐδὲν ἔχουσιν οὔτε πιθανὸν ἅτεροι λόγοι, * * * ὡς οὐ δεῖ τὸ βέλτιον κατ' ἀρετὴν ἄρχειν καὶ δεσπόζειν. Tribus his locis aliquid deesse putavit. Quod verum non esse apparebit, explicata sententiarum coniunctione. In quaestionem igitur vocantur duae sapientium hominum sententiae de eis qui servi sunt secundum legem. Alteris videtur iustum esse et aequum, ut victus victoris sit servus: alteris ea ipsa iniuria esse videtur, quum immane sit, vi devictos hominis esse servos non virtute sed potentia superioris. Quae dissensio ex eo orta est, quod quum virtus cum potentia coniuncta vim aliis adhibere possit, atque aliquo bono (opibus, fortuna, robore) victor semper sit superior, vis virtute quidem nunquam vacare videtur sed esse dissensionem de solo iure[1]). De iure igitur non solum disceptandum est, sed ab ea quaestione proficiscendum, utrum virtute victor superior sit, an potentia externa. Quod quum omisissent alteri, iusti-

---

1) Graeca verba haec sunt: Αἴτιον δὲ ταύτης τῆς ἀμφισβητήσεως καὶ ὃ ποιεῖ τοὺς λόγους ἐπαλλάττειν, ὅτι τρόπον τινὰ ἀρετὴ τυγχάνουσα χορηγίας καὶ βιάζεσθαι δύναται μάλιστα καὶ ἔστιν ἀεὶ τὸ κρατοῦν ἐν ὑπεροχῇ ἀγαθοῦ τινός, ὥστε δοκεῖν μὴ ἄνευ ἀρετῆς εἶναι τὴν βίαν, ἀλλὰ περὶ τοῦ δικαίου μόνον εἶναι τὴν ἀμφισβήτησιν. Ita enim verba ἀλλὰ περί τοῦ κτλ. cum eis quae praecedunt connectenda sunt (id quod Bekkerus et eum qui secutus est Stabrius fecerunt). cf. Pol. I. 9. Αἴτιον δὲ τὸ σύνεγγυς αὐτῶν. Ἐπαλλάττει γὰρ . . . ὥστε δοκεῖ κ. τ. λ.

tiam benevolentiam quandam dixerunt: alteri id ipsum iustum, ut imperaret quisquis superior esset sive virtute, sive divitiis et robore. Attamen utrorumque rationibus disiunctis, qui virtute praeditus est si cum eo qui aliis rebus antecedit non commutatur; nulla probandi vis alterorum est rationibus, qui eis qui virtute praestant imperium abiudicarunt. Ac de hoc loco diximus.

Verbis, quae in Pol. I. 8. leguntur: *Πότερον δὲ (ἡ χρηματιστικὴ) μέρος αὐτῆς (τῆς οἰκονομικῆς) ἐστί τι ἢ ἕτερον εἶδος, ἔχει διαμφισβήτησιν. Εἰ γάρ ἐστι τοῦ χρηματιστικοῦ θεωρῆσαι πόθεν χρήματα καὶ κτῆσις ἔσται, ἡ δὲ κτῆσις πολλὰ περιείληφε μέρη καὶ ὁ πλοῦτος* * * * *ὥστε πρῶτον, ἡ γεωργικὴ πότερον μέρος τι τῆς χρηματιστικῆς ἢ ἕτερόν τι γένος καὶ καθόλου ἡ περὶ τὴν τροφὴν ἐπιμέλεια καὶ κτῆσις*; ita quidem Conringius asteriscos interposuit; non temere; *Ἀκολουθίαν* enim quamvis magnam Aristoteli condones, eiusmodi tamen negabis apud ullum ferri posse scriptorem. Quaeritur, sitne *ἡ χρηματιστικὴ* pars *τῆς οἰκονομικῆς*, an alia species. Nam si *ὁ χρηματιστικὸς* exploratum habere debet, unde possessio acquiratur; haec autem multas habet partes: *ὥστε πρῶτον* (haec sequuntur) *ἡ γεωργικὴ πότερον μέρος τι τῆς χρηματιστικῆς ἢ ἕτερόν τι γένος καὶ καθόλου ἡ περὶ τὴν τροφὴν ἐπιμέλεια καὶ κτῆσις*. Quae sententia quomodo cum ea quae praecedit coniungitur? Primum quaeritur, quaenam ratio inter *χρηματιστικὴν* intercedat et *οἰκονομικήν*; deinde agricultura utrum *χρηματιστικῆς* pars sit an species alia. Haec quaestio quum ad priorem non apta sit, videtur etiam supervacanea. Nam quae sit coniunctio inter agriculturam et *χρηματιστικήν*, per se quidem patet. Verbum enim *χρηματιστικὴ* hoc loco significare totam *κτητικὴν* negare non potest, qui primam capitis partem perlegit. Nam ab initio haec verba inter se coniuncta leguntur: *ὅλως δὲ περὶ πάσης κτήσεως καὶ χρηματιστικῆς*. Deinde dicitur, *τῆς χρηματιστικῆς* esse, parare rem familiarem (*τὸ πορίσασθαι τὰ κατὰ τὴν οἰκίαν* et: *Εἰ γάρ ἐστι τοῦ χρηματιστικοῦ θεωρῆσαι, πόθεν χρήματα καὶ κτῆσις ἔσται*). Quare *χρηματιστικὴ* verbum non intelligendum est de altero *χρηματιστικῆς* genere, quod solam expetit pecuniam, sed de *κτητικῇ*. Id eo quoque confirmatur, quod Aristoteles, ubi primum verbum *χρηματιστικὴ* de eo quod pecuniam lucratur genere intelligi vult, id apertis significat verbis: *γένος ἄλλο κτητικῆς, ἣν μάλιστα καλοῦσι καὶ δίκαιον αὐτὸ καλεῖν χρηματιστικήν*. Itaque quum hoc loco *χρηματιστικὴ* sit tota *κτητική*, *κτητικὴ* autem omnem possessionem acquirat, agricultura vero possessionis partem; perspicuum est, quae sit coniunctio inter agriculturam et *κτητικήν*. Id ipsum vero Aristotelem sensisse apparet et ex verbis: "*Ἓν μὲν οὖν εἶδος κτητικῆς* et ex

cap. IV. *Ἔστι δὲ γένος ἄλλο κτητικῆς.* Quaestio igitur *πότερον ἡ γεωργικὴ μέρος τι τῆς χρηματιστικῆς ἢ ἕτερόν τι γένος* primum est supervacanea, deinde neque ad ea quae antecedunt quadrat, neque ad ea quae sequuntur. Nam agriculturam et totum quod in victu quaerendo versatur genus partem esse *οἰκονομικῆς*, demonstratur cap. VIII. Quae omnia mecum reputans ita legendum esse censeo: *Εἰ γάρ ἐστι τοῦ χρηματιστικοῦ θεωρῆσαι, πόθεν χρήματα καὶ κτῆσις ἔσται, ἡ δὲ κτῆσις πολλὰ περιείληφε μέρη καὶ ὁ πλοῦτος· ὥστε* [1]) *πρῶτον ἡ γεωργικὴ πότερον μέρος τι τῆς οἰκονομικῆς ἢ ἕτερόν τι γένος καὶ καθόλου ἡ περὶ τὴν τροφὴν ἐπιμέλεια καὶ κτῆσις.* Non tollitur quidem *ἀκολουθία*, sed reliqua plana sunt atque aperta omnia. Quaeritur enim quomodo ab *οἰκονομικῇ* distet *ἡ χρηματιστική*. Quum *χρηματιστικὴ* omnem possessionem acquirere studeat, possessio autem diversas habeat partes, easque singulas *χρηματιστικῆς* comparent genera: haec genera, quorum unum est *ἡ γεωργική*, deinceps cum *οἰκονομικῇ* conferenda sunt. Emendatae scripturae optime convenit quum ea res, quae toto capite tractatur, tum capitis finis: *Ἓν μὲν οὖν εἶδος κτητικῆς κατὰ φύσιν* (*ἡ γεωργική*) *τῆς οἰκονομικῆς μέρος ἐστίν.*

CAPUT II.

De examinandis rebuspublicis fictis.

Πρῶτον εἴ τι κατὰ μέρος εἴρηται καλῶς ὑπὸ τῶν προγενεστέρων πειραθῶμεν ἐπελθεῖν (cf. §. 14.).

§. 26.

Quam Ethicorum fine Aristoteles significavit disputandi rationem, ad eam animum referentes, I. Pol. libro *περὶ οἰκονομίας* conscripto, eum satisfecisse intelligimus verbis *λέγωμεν οὖν ἀρξάμενοι.* Exordio autem ita sumpto, disputationem in-

---

1) *Ὥστε* defendendum, quum necessarium sit, ut intelligatur sententiarum coniunctio. *Γνωστέον* et supervacaneum et prorsus alienum ab Aristotelis consuetudine. Neque argumentandi vim habent verba a Göttlingio allata Pol. I. 11. *Ἐπεὶ δὲ τὰ πρὸς τὴν γνῶσιν κ. τ. λ.*

gressurus est, quam primam fore promisit de examinandis rebuspublicis fictis (*Πρῶτον εἴ τι κατὰ μέρος εἴρηται καλῶς ὑπὸ τῶν προγενεστέρων πειραθῶμεν ἐπελθεῖν.* Eth. Nic. X. 10.). Eandem vero disputationem futuram esse indicavit in fine libri superioris: *ἄλλην ἀρχὴν ποιησάμενοι λέγωμεν, καὶ πρῶτον ἐπισκεψώμεθα περὶ τῶν ἀποφηναμένων περὶ τῆς πολιτείας τῆς ἀρίστης.* Duas autem initio libri II. rationes attulit, cur civitates ab aliis descriptas diiudicaturus esset ante quam de optima quaereret. Unam esse, ut quod bonum et utile esset, perspiceretur, alteram, ut appareret, quaestionem de optima republica a se institutam esse, non quod *σοφίζεσθαι* vellet, sed quia omnes reipublicae descriptiones non recte se haberent. Hac potissimum ratione quum commotus esset ad respublicas examinandas, videndum fuit non tam quid recte alii, quam quid secus dixissent; nec tam quid esset laudandum, quam quid vituperandum. Quod qui secum reputaverit, certe non mirabitur, quod eas quas alii finxerunt civitates ita diiudicavit, ut quae recte constituta essent; aut omnino non proferret aut leviter attingeret; quae minus recte, exquireret et vituperaret. Verumenimvero hanc rationem secutus, illud quod sibi proposuerat alterum assecutus est, ut quod bonum et utile esset, cognosceretur; refutandis enim erroribus, vera semper comprobantur. Sed haec hactenus.

I.

De ea civitate, quam Plato finxit in libris de Republica.

§. 27.

Platonis civitatem ita examinat, ut simul inquirat, quid civibus commune esse oporteat in republica bene constituta (*ἡ μέλλουσα οἰκήσεσθαι πόλις καλῶς*). Nam nihil ut commune sit, fieri nequit, quum respublica sit communitas. Cives enim necesse est unum eundemque locum incolant. Sed utrum omnes res attineat in promiscuo esse, an alias quidem esse, alias non esse, magna quaestio est. Nam

vel uxorum, liberum, bonorum communio et institui potest, et instituta a Platone est in *Πολιτείᾳ*. Tum ad Platonis institutum de mulieribus et liberis progressus, primum comprobat, quod Plato efficere studuerit, ut quam maxime una esset civitas, id civitati non modo non prodesse, sed eam aut minus sufficientem (*αὐτάρκη*) reddere aut penitus tollere. Dein demonstrat, quod ille voluerit, etiamsi reipublicae utilitatem afferat, tamen id ea haudquaquam effici lege; quum accidat, ut omnes una quidem voce dicant *τὸ ἐμὸν καὶ τὸ μὴ ἐμόν*, nec tamen ita, ut aliquam rem suam quisque vocitet. Tum alias difficultates patefacit, quae sint cum mulierum liberumque societate (quam appellant ICti.) coniunctae nec possint aut removeri aut vitari. Nam quum cives ignorent, cuius is filius sit qui peccavit, fieri non posse, quin cura et de liberis educandis minuatur et communibus de rebus omnibus. Praeterea nominibus „pater, filius, frater, cognatus" omnem detractum iri vim et significationem. Neque vitari posse, quin nonnulli fratres liberosve sibi similes non internoscant. Huc accedere, quod cognatione ignorata, cognatus in cognatum crimen perpetrare possit et expiare omittat. Idem pertinere ad cognatorum amores illicitamque consuetudinem. Denique caritatem, quae inter cives et cognatos bonis legibus augeatur, ista lege minui paeneque extingui. Postremo magnas difficultates ex eo oriri, quod ex agricolis et opificibus nati in custodum numerum transferantur et retrorsum vicissim. Haec de liberum uxorumque communione (Pol. II. 1—4.).

Sequitur quaestio de consortio quod vocant bonorum. Disceptatur igitur, ex tribus quid sit praestantissimum. Quorum unum id est, ut agri omnesque res sua cuique sint et propria, communia fruges et usus; alterum huic contrarium, ut agri communes, fruges propriae et suae cuique dentur; tertium, ut communia sint et possessio et ususfructus. Quod ad alterum pertinet, fieri non potest, quin nonnulli, labore suscepto maiori, minorem sibi frugum partem tribu-

tam esse querantur, communes autem habere res omnes difficile est et lubricum; id quod multis comprobatur exemplis. Bonorum autem omnium communio quum alias etiam difficultates afferat, dubitari non potest, quin ea ratio, qua homines vulgo utuntur, sit longe praestantissima, modo leges accedant incorruptique mores. Cives enim bene morati rebus propriis et privatis utuntur quasi communibus. Quanta est enim animi delectatio, si rebus propriis opem amicis ferre possumus? At Platonem si secuti erimus, tolletur omnis illa delectatio, tolletur liberalitas ac temperantia. Sed quum Plato arbitretur, querelarum, accusationum, dissidiarum numerum illa quidem lege minutum iri, refellitur haec opinio. Denique fons, unde manavit omnis Platonis error, indagatur et monstratur. Haec de civitatis legibus. Iam ad reipublicae statum diiudicandum pergit. Primum igitur Plato reprehendendus, quod de custodibus solis disputans de aliis civibus, de eorum vivendi genere, institutionibus, legibus nihil exhibet. Nam liberi, uxores, bona sive communes sunt, sive privati, tot oriuntur et tantae difficultates, ut vix superari possint. Praeterea respublica facillime in periculum adducitur, quum agricolis agri commissi sint pensitandis vectigalibus, quumque semper penes eosdem cives sit imperii summa. Denique si custodes beatam vitam non degunt, ne tota quidem civitas beata esse potest. Haec fere Aristoteles de Platonis *Πολιτείᾳ*.

II.

De ea civitate, quam idem Plato temperavit in Legum libris.

§. 28.

Legum libros Aristoteles brevius diiudicat, quod eorum quae, in libris de Republica constituit Plato non multa mutaverit. Nam ad hominum vitam civitatem accommodare in Legibus voluisse quidem Platonem; sed paucis mutatis

reversum ad eadem esse, quae in Republica protulisset. Communione enim liberum, uxorum, rerum omnium sublata, plane eandem instituit civium disciplinam; nisi quod mulieribus syssitia esse iussit, civiumque auxit numerum, quorum utrumque probari haud possit. Aliis dein quibusdam vituperatis rebus aut correctis, Aristoteles de eis disserit, qui in Platonis civitate copias augent areasque dividunt. Totam autem civitatis conformationem Platoni placuit esse nec ὀλιγαρχίαν nec δημοκρατίαν. Eiusmodi statum quod putavit magis communem esse et vulgarem, non erravit: at quod eum superare nullum duxit nisi primum, a vero abfuit. Nam praestant ea rerumpublicarum genera, quae ex pluribus conflata ad optimatum imperium (ἀριστοκρατίαν) propius accedunt. Quamvis autem Plato civitatem suam ex δημοκρατίᾳ temperare voluit et ex tyrannide, nihil tamen in eo est βασιλικόν (regale), sed ὀλιγαρχικὰ aut δημοκρατικὰ omnia. Neque tamen haec aequabiliter inter se mixta; sed ad ὀλιγαρχίαν respublica inclinat, id quod intelligi ex ea ratione potest, qua magistratus (ἄρχοντας) creari, consiliumque (βουλήν) eligi iussit (Pol. II. 6.).

Haec fere sunt omnia, quae de eis quas finxerat Plato civitatum formis Aristoteles disputavit. Atqui quod sibi proposuit, id certe assecutus est. Nam praeter civitates Platonicas qui aliam quaereret optimam, eum non esse sophistam plane edocuit; significavit autem, quid recte et utiliter in optima republica institueretur. Remotis enim perniciosis legibus institutisque, quae bona sunt et salutaria dispiciuntur.

III.

De civitate, quam excogitavit Phaleas Chalcedonius.

§. 29.

Ut antea Aristoteles inprimis de mulierum, liberum, bonorum communione quaesivit: ita hoc loco id potissimum agit, ut leges de re familiari quanti sint in civitate mo-

menti, perpendat. Bonorum enim, vel agrorum potius aequationi Phaleas ad vitandas seditiones maximam tribuit vim et efficaciam. Sed quum agros aequabiliter distribui luberet, ei etiam civium numerus definiendus erat, legesque dandae de liberis. Neque vero Aristoteles bonorum quandam aequa bilitatem ad pacem pertinere negat. At non solum bona aequanda sunt, sed etiam cupiditates; id quod fieri nequit nisi recta educatione. Qua cives etiam a nimia honoris cupiditaté liberantur, unde multae oriuntur discordiae. Ceterum Phaleana illa quidem lege eas tantum prohiberi iniurias, quae inferantur ad necessarias res consequendas. Plerumque autem homines iniuste agunt, ut cupiditates expleant omnium rerum abundantia. Quibus ita explicatis, legislatori non solum videndum esse dicit, respublica ut intus bene administretur, sed etiam, ut fortitudine, potentia, copiis par sit vicinis civitatibus. Sequitur quaestio de aerario.

IV.

De Hippodami Milesii civitate optima.

§. 30.

De Hippodami civitate ita instituta disputatio est, ut quattuor potissimum de rebus dicatur. Quarum prima est civium divisio. Cives enim omnes Hippodamus distribuit in classes tres, opificum, agricolarum, armatorum. Altera partitio est agrorum. Agros item tres divisit in partes; unam fecit privatam, alteram publicam, sacram tertiam. Quae civium agrorumque partitio quot et quantas afferat difficultates, uberrime docet Aristoteles. — Tertia est lex de iure dicendo. Ad sententiam enim ferendam non suffragia Hippodamus sed tabellas adhiberi iussit, ut iudex si damnaret quidem, nec tamen simpliciter, haberet quo sententiam aperiret, neve quum reus omnino esset aut absolvendus aut damnandus cogeretur ad periurium. At sententiae si ita feruntur, vel maxime discrepabunt; quo fiet,

ut unum certumque iudicium effici non possit. Denique legem dedit, ut qui civitati utile quid excogitasset, praemio donaretur. Quae quum eis praesidio sit, qui leges abrogare totumque reipublicae statum commutare conentur, Aristoteles de mutandis tollendisque legibus accurate disserit.

Quod in Ethicorum fine primum sibi proposuit (cf. §. 14.) Aristoteles, id ita perfecit, ut acriter diiudicaret civitatem Platonis utramque, Phaeleae, Hippodami. Iam videamus, quod alterum sibi propositum esse dixit, qua id ratione praestiterit.

CAPUT III.

De examinandis rebuspublicis ex vita hominum sumptis.

Εἶτα (πειραθῶμεν) ἐκ τῶν συνηγμένων πολιτειῶν θεωρῆσαι τὰ ποῖα σώζει καὶ φθείρει τὰς πόλεις καὶ τὰ ποῖα ἑκάστας τῶν πολιτειῶν καὶ διὰ τίνας αἰτίας αἱ μὲν καλῶς αἱ δὲ τοὐναντίον πολιτεύονται.

§. 31.

Verba ita intelligenda sunt: Deinde excollectis rebuspublicis *probabilibus* (neque eis excogitatis a philosophis sed ex vita hominum sumptis) dispicere conabimur, et quid conservet, quid corrumpat civitates, et quid singulas reipublicae formas, et quibus de causis aliae bene, contra aliae gubernentur. Ita interpretati sumus §.15. Et Aristoteles reapse quidem non omnes, sed probabiles diiudicat rerum publicarum formas. Quod ita se facturum, vel libri II. initio promisit: *δεῖ καὶ τὰς ἄλλας ἐπισκέψασθαι πολιτείας, αἷς τε χρῶνταί τινες τῶν πόλεων τῶν εὐνομεῖσθαι λεγομένων.* Examinat autem civitates Lacedaemoniorum, Cretum, Carthaginiensium quas ipse quidem laudat in cap. XI. Sed qua sit ratione in eis diiudicandis versatus quaeramus. Ita fortasse intelligemus, quod promissum sit in extremis Ethicis id hoc

loco esse praestitum. In Ethicis leguntur verba illa quidem notissima: *Εἶτα ἐκ τῶν συνηγμένων πολιτειῶν θεωρῆσαι τὰ ποῖα σώζει καὶ φθείρει τὰς πόλεις;* in Pol. II. 9. haec: *Περὶ δὲ τῆς Λακεδαιμονίων πολιτείας καὶ τῆς Κρητικῆς, σχεδὸν δὲ καὶ περὶ τῶν ἄλλων πολιτειῶν δύο εἰσὶν αἱ σκέψεις, μία μὲν εἴ τι καλῶς ἢ μὴ καλῶς πρὸς τὴν ἀρίστην νενομοθέτηται τάξιν.* Quae quidem Ethicorum cum verbis congruere non videntur. Sed videntur tantum. Vere enim eadem diversis verbis subest sententia. Ad optimam enim civitatem quidquid est idoneum, id conservat civitates simpliciter; et contra quidquid civitates omnino corrumpit, ad optimam certe non est aptum. Sequuntur in Ethicis: *καὶ τὰ ποῖα σώζει καὶ φθείρει ἑκάστας τῶν πολιτειῶν καὶ διὰ τίνας αἰτίας αἱ μὲν καλῶς αἱ δὲ τοὐναντίον πολιτεύονται;* in Politicis haec: *ἑτέρα δὲ (σκέψις) εἴ τι πρὸς τὴν ὑπόθεσιν καὶ τὸν τρόπον ὑπεναντίως τῆς προκειμένης αὐτοῖς πολιτείας.* Etenim rerumpublicarum genus omne si ei contrarium et ineptum quid inest pervertitur praveque administratur et regitur. Praeterea quid civitates simpliciter depravet (s. quid ad optimam civitatem minus sit accommodatum) et quid Lacedaemoniorum, Cretum, Carthaginiensium respublicas perdiderit (s. eis quid infuerit contrarium), Pol. II. 9. 10. 11. expositum esse dicet, qui ea capita ipsa perlegere voluerit vel eam quae sequitur epitomen.

I.

De Lacedaemoniorum republica.

§. 32.

In Lacedaemonia republica primum leges de helotis non fuisse probabiles, Aristoteles ex eo colligit quod quacunque occasiono data rebellaverint. Deinde Lacaenarum incontinentiam effrenatamque licentiam vituperat. Nam quum voluptatibus frui nemo possit nisi dives, pecuniam Lace-

daemonii pluris fecerunt. Unde factum est, ut feminae, neglectis rebus domesticis bello autem male gesto, magnum reipublicae afferrent detrimentum. Tum reprehendit possessionis partitionem minus aequabilem legesque de re familiari leganda ac de procreandis liberis. Deinde laudatis nonnullis reipublicae institutis, disputat de ephoris, senibus, regibus, syssitiis, nauarchis. Denique Lacedaemoniis id laudi dandum esse negat, quod posthabitis reliquis virtutibus, omne in una fortitudine studium posuerint.

II.

De civitate Cretum.

§. 33.

Cretum civitatem, leges, instituta, disciplinam confert Aristoteles cum Lacedaemoniis. Respondent enim helotis περίοικοι, ephoris κόσμοι, senibus senes, quorum consilium Cretes βουλὴν vocant. Coenae autem communes Cretum propriae sunt, syssitiisque praestant. Neque enim collatis civium symbolis, sed publice et ita comparantur, ut publice et uxores alantur et liberi. Leges autem de eligendis κόσμοις postponendae eis, quae Lacedaemoni sunt de ephoris. Denique vituperandum, quod κόσμοι vi aut factione expellebantur. Conservatur autem civitas loci opportunitate.

III.

De civitate Carthaginiensium.

§. 34.

Multa Carthaginiensibus instituta sunt non contemnenda. Id ex eo intelligi licet, quod quamvis plebs (δῆμος) fuit reipublicae, tamen nec seditio unquam orta est nec tyrannus exstitit. Ut Cretum, ita etiam Carthaginiensium magistratus cum Lacedaemoniis composuit. Qua comparatione elucet leges quibus Carthaginienses CIV. virorum imperium crea-

verint, longe antecedere legibus de eligendis ephoris. Imperium autem optimatium (ἀριστοκρατία) Carthaginiense quod ad populum (δῆμον) et factionem (ὀλιγαρχίαν) inclinavit, vituperandum est. Inclinavit autem ad δημοκρατίαν legibus de plebiscitis, ad factionem legibus de pentarchiis et C viris. Optimatium autem imperium eo proditur, quod magistratus selecti non mercede sed gratis rempublicam regunt causaeque omnes uno iudicio diiudicantur. Factiosum (ὀλιγαρχικόν) id quoque esse dicit, quod non virtutis solum in eligendis magistratibus sed etiam divitiarum ratio habeatur. Unde quot reipublicae mala nata sint et quanta, diligenter inquirit et exponit. Neque ea lex, quae uni plura munera concessit, probari ullo modo potest.

§. 35.

De libri II. capite XII.

Disputationi de diiudicandis rebuspublicis quum fictis tum ex vita hominum sumptis philosophus finem facit cap. XII. Quare quicunque de republica quid pronuntiarunt, eos omnes in duo dividit genera. Qui privati reipublicae formam finxerunt legesque scripserunt, in altero genere ponendi sunt, in altero ei, qui ad rempublicam accedentes leges dederunt. Sed qui hoc in genere sunt, item dividuntur. Alteri sive civibus sive aliis leges tulerunt, alteri ipsam constituerunt rempublicam, ut Lycurgus et Solon. De Lycurgo quum expositum sit, hoc loco de Solonis legibus dicitur et de civitate Atheniensium. Tum de legislatoribus disputatur, de Zaleuco, de Charonda, Philolao. Postremo nonnullae enumerantur leges, quas scripserunt Philolaus, Charondas, Phaleas, Plato, Dracon, Pittacus, Androdamas.

§. 36.

Totum librum II. Aristoteleum esse.

Librum II. conscriptum esse ab Aristotele, luculentis demonstrari potest argumentis. Locum primum inter ar-

gumenta obtinet finis Ethicorum: *Πρῶτον μὲν οὖν εἴ τι κατὰ μέρος εἴρηται καλῶς ὑπὸ τῶν προγενεστέρων πειραθῶμεν ἐπελθεῖν, εἶτα ἐκ τῶν συνηγμένων πολιτειῶν θεωρῆσαι τὰ ποῖα σώζει καὶ φθείρει τὰς πόλεις καὶ τὰ ποῖα ἑκάστας τῶν πολιτειῶν καὶ διὰ τίνας αἰτίας αἱ μὲν καλῶς αἱ δὲ τοὐναντίον πολιτεύονται.* Quae verba etiam ab Aristotele abiudicanda essent, si Pol. II. suppositus esset. Item ultima libri I. pars ab Aristotele profecta esse non posset. Iam quum Aristoteli ea disputandi ratio sit, ut quid alii dixerint ante consideret, quam suam proferat sententiam: is eandem rationem secutus est, qui Pol. II. composuit [1]). Non solum autem totius libri argumentum sed etiam modus progrediendi, ratio copulandarum sententiarum, dicendi genus in singulis et verbis et enuntiatis ubique prodit Aristotelem. Liber II. porro cum sequentibus ita coniunctus in eosque ita quasi inditus est, ut desiderari prorsus nequeat. Si suppositus esset qua ratione tam apte in alios Politicorum libros inseri potuisset? Ascribam exempla:

Pol. II. 6. *Ἀλλὰ περὶ μὲν τούτων* (de agris dividendis) *πῶς οἰόμεθα βέλτιον ἂν ἔχειν, λεκτέον ὕστερον.* Quae spectant ad Pol. VII. 10.

Item Pol. II. 6.: *Ὡς μὲν οὖν οὐκ ἐκ δημοκρατίας . . . . ἐκ τούτων φανερὸν καὶ τῶν ὕστερον ῥηθησομένων, ὅταν ἐπιβάλλῃ περὶ τῆς τοιαύτης πολιτείας ἡ σκέψις.* Quibus scriptor ea significat, quae libro IV. est dicturus.

Pol. II. 8. s. f. *Διὸ νῦν μὲν ἀφῶμεν ταύτην τὴν σκέψιν ἄλλων γάρ ἐστι καιρῶν.* Quae de mutandis et tollendis legibus ad Pol. V. 3. et 7. pertinent.

Pol. II. 9. *Περὶ δὲ βασιλείας εἰ μὲν μὴ βέλτιόν ἐστιν ὑπάρχειν ταῖς πόλεσιν ἢ βέλτιον, ἄλλος ἔστω λόγος.* de quibus cf. Pol. III. 14. sqq.

Pol. II. 10 . . . . . . *τὴν πρὸς τοὺς ἄρρενας ποιήσας ὁμιλίαν, περὶ ἧς εἰ φαύλως ἢ μὴ φαύλως ἕτερος ἔσται τοῦ*

---

1) Praeclare de hac re Spengelius l. c. p. 10. 11.

διασκέψασθαι καιρός. Quae referenda sunt ad Pol. V. 10. 11[1]).

Vel maxime autem mirandum esset si ab alio scriptore liber II. originem duceret, quod quum multa civitatium instituta, leges, disciplinae, descriptiones singulis capitibus vituperarentur, ne una quidem res nescio quo errore vituperata esset, quae reperiretur in optima civitate quam finxit Aristoteles. Nunc autem mirum id non est, quum ipse quaque de re constanti usus sit iudicio. Sed ut ad summum pergam, complures qui Pol. II. tractantur loci ei sunt, ut in libris de republica deesse nullo pacto possint. Explicantur loci de communione mulierum, liberum (Pol. II. 1—4.), rerum omnium (V.), de bonorum aequatione (7.), de mutandis tollendis velegibus (8.), aliis de rebus. De quibus omnibus accurate inquiret, qui de republica scribere constituerit. Quare liber II. citatur in sequentibus. Veluti in Pol. VII. 9 *Καθάπερ γὰρ εἴπομεν, ἐνδέχεται καὶ πάντας κοινωνεῖν πάντων καὶ μὴ πάντας πάντων ἀλλὰ τινῶν.* Quae non ad Pol. IV. 15. ut putavit Goettlingius, sed ad Pol. II. 1 referenda sunt [2]). Et in Pol VII. 10. sq. verbo *φαμὲν* interposito, eorum mentio est, quae sunt in Pol. II. 5. 6. al. explicata. Praeterea adscribenda sunt verba haec: (Pol. III. 6.) *Εἴρηται δὴ καὶ κατὰ τοὺς πρώτους λόγους, ἐν οἷς περὶ οἰκονομίας διωρίσθη καὶ δεσποτείας.* Nisi inter tertium et primum liber II. intercessisset, satis accurate dixisset *κατὰ τοὺς πρώτους λόγους*: nunc vero quum liber secundus pariter ac primus *πρῶτοι λόγοι* vocari possent, latius definivit, utrum intelligi librum voluerit. Ac de libri II. veritate satis, ut arbitror, dictum est.

Annotatio 1. In Pol. II. 11. leguntur verba haec: *Καὶ βέλτιον δὲ τοὺς βασιλεῖς μήτε κατὰ τὸ αὐτὸ εἶναι γένος μηδὲ τοῦτο τὸ τύχον, εἴτε*

---

1) Haec verba Goettlingius retulit ad Pol. VII. 16; non recte. Loci autem quos adscripsi tres quorsus pertineant, annotare et Goettlingius omisit et Stahrius.

2) Quod idem notavit Spengelius (l. c. p. 28.)

διαφέρον ἐκ τούτων αἱρετοὺς μᾶλλον ἢ καθ' ἡλικίαν, Quibus Conringius asteriscos apposuit. Sed id mihi minime mirum. Magis mirandum, quod sententiam interpretibus omnibus unius literae depravatio obscuravit. Putavit enim Coraes locum emendari non posse, nisi mutatis εἴ τε διαφέρον verbis in ἀλλὰ διαφέρον. Klugeus [1]) pro voculis εἴ τε scribendum esse dixit εἰ δέ. Goettlingius coniunctionem ἀλλ' interposuit, verbum μᾶλλον eiecit, voculam τε mutavit; edidit enim hoc modo ἀλλ' εἴ τι διαφέρον (ἐστὶ sc. ἀριστίνδην καὶ πλουτίνδην) ἐκ τούτων αἱρετοὺς ἢ καθ' ἡλικίαν. Stahrius secutus est Bekkerum, interpretatus autem ita: «Und hier ist es besser, dass die Könige weder immer aus einem und demselben Geschlechte noch aus jedem beliebigen und dass, wenn ein ausgezeichnetes vorhanden, sie aus dessen Gliedern durch Wahl vielmehr, als nach dem Alter genommen werden.» In aliorum sententiis refellendis non immorandum esse censeo, quia una littera mutata, omnia spero fore plana et perspicua. Sic enim scripserim: Καὶ βέλτιον δὲ τοὺς βασιλεῖς μήτε κατὰ τὸ αὐτὸ εἶναι γένος, μηδὲ τοῦτο τὸ τύχον· εἶτα διαφέρον ἐκ τούτων αἱρετοὺς μᾶλλον ἢ καθ' ἡλικίαν h. e. *praestat* etiam reges neque ex eodem neque ex qualicunque; esse genere *porro* illud *differt* (et ita quidem, *item ut praestet*) quod ex eis reges selectione potius quam pro aetate constituuntur. Etenim verbum διαφέρον idem valet, quod verba quae praecedunt οὐ χεῖρον et βέλτιον.

Annotatio 2. Libri II. cap. XII. Goettlingius (l. c. p. 345.) ab Aristotele abiudicavit; eiusque iudicium nonnullis viris criticis ratum fuit Neque tamen supervacaneum esse putaverim examinare ea quae Goettlingius attulit argumenta. Est igitur argumentum primum: «cui bono p.66: 13—16 (h. e. in primo capitis XII. enuntiato) insulsa ista repetitio eorum, quae ab Aristotele dicta sunt p. 44. 4» (h. e. initio capitis VII.)? At ista repetitio quam vocat non est insulsa. Eiusmodi (non dico insulsas) repetitiones non rarae apud Aristotelem. «Cui bono» autem vel potius qua de causa Aristoteles in sap. XII. initio eam potissimum sententiam posuerit, intelligi licet ex §. 35. — Alterum argumentum est: «Cur amabo repetita est memoria Phaleae?» Sed idem de Platone quaerendum erat. Si pro loci opportunitate omnes fere enumerantur legum inventores, mentio Phaleae certe facienda est et Platonis. — Sequitur argumentum tertium, quae itidem est interrogatio: «Quorsum ista fabula de Philolao et Diocle spectat?» Illa quidem ex narratione intelligitur,

1) De rep. Carth.

qui factum sit ut Thebanis leges scriberet Philolaos Corinthius. Goettlingius pergit: «Sed graviora sunt, quae peccavit.» At antea quum nec graviter nec omnino peccaverit; neque ea quae sequuntur peccata graviora esse possunt, quum praecedentia prorsus nulla sint. Sed legamus argumentum ipsum; «haec narrat egregius Politicus: *τὰς δ' ἀρχὰς ἐκ τῶν γνωρίμων καὶ τῶν εὐπόρων κατέστησε πάσας ἐκ τῶν πεντακοσιομεδίμνων καὶ ζευγιτῶν καὶ τρίτου τέλους τῆς καλουμένης ἱππάδος, τὸ δὲ τέταρτον θητικὸν, οἷς οὐδεμιᾶς ἀρχῆς μετῆν.* Quid audio; tertiane erat classis equitum. Immo secunda.» Sed de hac re postea. — Progrediamur ad reliqua: «*Σόλωνα δ' ἔνιοι μὲν οἴονται νομοθέτην γενέσθαι σπουδαῖον*, quasi aliorum auctoritate opus fuisset civi Atheniensi, quum de Solone ut bono legistatore loqueretur.» Verba illa quidem ita comparata sunt, id ipsum ut comprobent, quod Goettlingii sententiae est contrarium. Aristoteles enim quid ipse sentiat, interdum significat potius quam aperte eloquitur. Sequuntur haec: «Porro *διὸ καὶ μέμφονταί τινες αὐτῷ* et *πειρῶνται δὲ καί τινες*. Haud ita dubitanter loqui solet Aristoteles, sed haec est ratio compilatoris.» Sed compilator, quo nemo audacior, haesitans loqui certe non solet. — Novum argumentum adiungitur: «Quam misere haec conglutinavit suo *ἐγένετο δὲ καὶ* pueriliter repetito: *Ἐγένετο δὲ καὶ φιλόλαος* et *Ἐγένετο δὲ καὶ Πιττακὸς* et *Ἐγένετο δὲ καὶ Ἀνδροδάμας.*» In verbum *ἐγένετο* repetum non offendo, quum primum ab altero totâ paginâ, alterum a tertio duobus enuntiatis disiunctum sit. Repetitio autem si molesta est, Goettlingii sententiam non modo non comprobat, verum etiam refutat. Nam eiusdem verbi repititiones apud Aristotelem ante pedes positae sunt. Unum exemplum adscribam: Pol. IV. 4. *Ἕτερον εἶδος δημοκρατίας τὸ μετέχειν ἅπαντας τοὺς πολίτας, ὅσοι ἀνυπεύθυνοι, ἄρχειν δὲ τὸν νόμον. Ἕτερον δὲ εἶδος δημοκρατίας τὸ πᾶσι μετεῖναι τῶν ἀρχῶν, ἐὰν μόνον ᾖ πολίτης, ἄρχειν δὲ τὸν νόμον. Ἕτερον δὲ εἶδος δημοκρατίας κ. τ. λ.*

At quicunque, quod ipse scripsit, aliis auctoribus supponere vult, is eiusmodi repetitiones diligenter vitare solet. — Additur aliud argumentum: «Quam inepta est repetitio nominis: *Καὶ τὴν μὲν ἐν Ἀρείῳ πάγῳ βουλὴν Ἐφιάλτης ἐκόλουσε καὶ Περικλῆς, τὰ δὲ δικαστήρια μισθοφόρα κατέστησε Περικλῆς.*» Hoc ad argumentum idem pertinet, quod de superiore diximus. Ceterum sciendum est, a veteribus scriptoribus inprimis ab Aristotele perspicuitati saepe postpositam esse elegantiam. — Iam *νόμων δημιουργὸν* Goettlingius vituperat quasi «legum fabricatorem.» Atqui *νόμων δημιουργὸς* «legum fabricator» non est sed «legum lator» vel «legum inven-

tor. «Neque enim *ἀρετῆς δημιουργὸς* (Pol. VII. 9.) significat «virtutis fabricatorem» aut *χάριτος δημιοῦργος* (Rhet. III. 8.) «fabricatorem gratiae.» — Quod autem *ψευδομαρτύρων* pro *ψευδομαρτυριῶν* corrupte legitur, id probandum non probat. Neque ex verbo *τυπτήσωσι* effici quidquam potest. Verbum explicandum est, aut si explicari nequit, pro corrupto habendum. — Sequitur: «*τὰς ὑπὸ τινῶν εἰρημένας πολιτείας* locutio fere inaudita.» In Pol. II. 1. leguntur haec: *κἂν εἴ τινες ἕτεραι (πολιτεῖαι) τυγχάνωσιν ὑπὸ τινῶν εἰρημέναι καὶ δοκοῦσαι καλῶς ἔχειν.* — Denique «Male», inquit «praeterea me habet *ἀποδιδόναι* (*Σόλωνγε ἔοικε τὴν ἀναγκαιοτάτην ἀποδιδόναι τῷ δήμῳ δύναμιν*) et *πολέμιος* (*ὁ δῆμος δοῦλος ἂν εἴη καὶ πολέμιος*) et *τὴν ἐν τοῖς πολεμικοῖς ἄσκησιν.*» De *πολέμιος* et *ἀποδιδόναι* cf. Pol. III. 11. ubi eadem sententia eisdem fere verbis expressa est; et Pol. III. 14. *τὰ πρὸς τοὺς θεοὺς ἀποδέδοται τοῖς βασιλεῦσιν.* Pol. IV. 14. *Ἀναγκαῖον δ' ἤτοι πᾶσι τοῖς πολίταις ἀποδεδόσθαι πάσας ταύτας τὰς κρίσεις ἢ τισὶ πάσας κ. τ. λ.* Reliquum est, ut de uno argumento dicatur, quod probandi vim sane habere videtur. Petitum autem ex eo est, quod Atheniensium equites in tertia classe reponuntur. Hac in re haesitarunt omnes interpretes; neque ego habeo, quo eam expediam. Nec tamen uno hoc argumento demonstrari potest caput XII. esse suppositum. Codicum enim scriptura potuit depravari; Totum enuntiatum potuit ex margine in scriptoris verba irrepere.

Sed alia fortasse indagari possunt argumenta. Quid igitur, quod Cicero de Legg. II. 6. contra Timaeum, qui Zaleucum ullum fuisse negavit testem adhibet Theophrastum? Si Pol. II. 12. legisset, nonne magis locupletem testem protulisset ipsum Aristotelem? Sed hac quidem in re pluris ducenda est Theophrasti auctoritas qui accurate leges conscripsit legumque inventorum vitam narravit. —

Quum nihil repertum sit, unde suppositum esse caput XII. colligi ullo modo possit: deinceps quaeramus, ecquid sit, quo non suppositum esse efficiatur. Primum igitur ex Pol. II. 9. *Περὶ δὲ τῆς Λακεδαιμονίων πολιτείας καὶ τῆς Κρητικῆς σχεδὸν δὲ καὶ περὶ τῶν ἄλλων πολιτειῶν δύο εἰσὶν αἱ σκέψεις κ. τ. λ.* Aristotelem videmus eo fuisse consilio, ut civitate Cretum examinata, diiudicaret Carthaginiensem et unam certe aut duas alias respublicas. Nam de una Carthaginiensium republica dici nequit *καὶ τῶν ἄλλων πολιτειῶν.* Itaque caput illud si Aristoteleum esse negamus, affirmandum est, aliquam deesse libri II. partem: at si dicimus scriptum id esse ab Aristotele, recte se habent omnia. Et profecto sententiae hoc capite explicatae omni ex parte cum eis congruunt, quae eisdem de rebus aliis locis proferuntur; e. g. quae dicuntur de populi po-

testate necessaria cf. cum Pol. III. 11. et VI. 4. — Genus autem dicendi prorsus est Aristoteleum [1]).

§. 37.

De libri II. capitum ordine.

Libri II. capita suum conservasse ordinem, negari omnino non potest. Nam caput I. si exceperis, in reliquis omnibus ita ad ea quae praecedunt respicitur, ut commutari capitum ordo et series nullo modo possit.

Ad Aristotelis consilium ut iterum animum referamus, id quod voluit, omnino assecutus est. Primum enim edocuit, rerumpublicarum, quae essent fictae, aut in vitam hominum inductae, nullam esse perfectam; qui ergo praeter eas bonam quaereret, haud nimia cum quaerere (cf. Pol. II. 1.). Deinde quid recte se habeat, quid non, discrevit, et quae leges, instituta, disciplinae apta sint ad civitatem optimam, et quaenam ad quamque reipublicae descriptionem non sint idonea. Quibus rebus cognitis, quum accuratius perspiciatur, quale sit optimum reipublicae genus: probanda sane sunt Aristotelis verba (Eth. Nic. X. 10.): θεωρηθέντων

---

1) Spengelium (l. c. ann. 13.) de hac re attulisse video nova, quae me fugerunt argumenta. Verba adscribam integra: «Entfernt man dieses Kapitel, so fehlt der Schluss dieses Buches; aber der Inhalt ist vollkommen ächt, man kann nichts tadelhaftes darin finden, dass die Gesetzgeber mit ihren Eigenthümlichkeiten zusammengestellt werden, dadurch wird auch die athenische Verfassung erwähnt; schon der Ausdruck p. 1274. 10. (sec. Bekk. Berol.) εἰς τὴν νῦν δημοκρατίαν, der öfter in der Politik wiederkehrt und ächt aristotelisch ist, hätte von der Kühnheit abrathen sollen, ein späteres Machwerk zu erblicken. Vieles ist Missverständniss und zeugt, dass Sinn und Zusammenhang nicht richtig aufgefasst worden, wie was über die Stelle von Solon gesagt ist, anderes ist bei dem Zustande unseres Textes unbedenklich als corrupt anzunehmen, wie die Worte τὰς δ' ἀρχὰς ἐκ τῶν γνωρίμων καὶ τῶν εὐπόρων κατέστησε πάσας ἐκ τῶν πεντακοσιομεδίμνων καὶ ζευγιτῶν καὶ τρίτου τέλους τῆς καλουμένης ἱππάδος, τὸ δὲ τέταρτον θητικόν, wo wahrscheinlich καὶ τοῦ stand; etc.

γὰρ τούτων τάχ' ἂν μᾶλλον συνίδοιμεν καὶ ποία πολιτεία ἀρίστη κ. τ. λ. Ex his quidem verbis supra collegimus Aristotelem sibi proposuisse, ut primum de optima disputaret republica, deinde de reliquis rerumpublicarum formis, legibus, institutis. Est igitur exspectatio, fore ut de optima republica dicere ingrediatur. Quae quidem exspectatio libri II. exordio confirmatur: *Ἐπεὶ δὲ προαιρούμεθα θεωρῆσαι περὶ τῆς κοινωνίας τῆς πολιτικῆς, ἣ κρατίστη πασῶν τοῖς δυναμένοις ζῆν ὅτι μάλιστα κατ' εὐχήν.* Sed oeconomicis quidem pertractatis, examinatisque rebuspublicis probabilibus, non eo tamen perducta disputatio est, ut iam de optimo reipublicae genere exponi possit. Etenim aliae prius instituendae sunt quaestiones necessariae, quae ut libri I. et II. ad reliquas civitates atque ad optimam aeque pertinent[1]. Sunt autem quaestiones illae quidem tres, una de civitate et de civibus, de rerumpublicarum generibus altera, tertia de eis, qui rebuspublicis praeficiendi sunt.

CAPUT IV.

De tribus quaestionibus, quibus Aristotsles dicere ingreditur de optima civitate ac de reliquis reipublicae generibus.

I.
De civitate et de civibus.

§. 38.

Haec quidem quaestio de civitate et de civibus tripartita est. Primum civitas quid sit, et quis civis simpliciter? deinde viri boni sitne eadem virtus ac civis probi (*σπουδαίου*)? denique num opifices (*βάναυσοι*) civium in numero ponendi sint.

---

1) Id quod iam ex libri III. exordio intelligi potest: *Τῷ περὶ πολιτείας ἐπισκοποῦντι, καὶ τίς ἑκάστη καὶ ποία τις κ. τ. λ.*

Primum igitur quum de civitate et de civibus dicendum sit, exclusis eis, qui pro civibus simpliciter habendi non sint, civem esse definit, qui iudicii et imperii sit ita particeps, ut comitia aut obeat (ἐκκλησιαστής) aut obire possit. Civitatem vero illorum esse coetum commodum et aptum ad vitae αὐτάρκειαν. Dein reprehendit eam quae ex progenie sumitur civium definitionem. Qui autem mutata reipublicae forma in civium numerum recepti sint, ei utrum cives sint an non sint minime quaerendum est, sed utrum iuste sint cives an iniuria. Denique dubitationem, quae est de civitatis actione, redire eo dicit, ut lex constituatur et ratio, qua civitas eadem maneat aut mutetur. Qua quidem in re non loci et hominum, sed generis reipublicae ratio habenda est (Pol. III. 1—4.).

Iam vero viri boni virtus distat a virtute civis boni simpliciter, congruit cum eius virtute, qui in optima republica bonus est civis, civiliterque (τὴν πολιτικὴν ἀρχήν, τὴν τῶν ἐλευθέρων ἀρχήν) potest tum imperare tum parere (Pol. III. 4. cf. IV. 7.).

Opifices denique, quamvis eorum operis civitas carere non possit, tamen, neque eius pars neque in civium numero sunt. In quibusdam rebus publicis fieri aliquando potest, ut cives sint opifices, in optima nunquam (cap. V.).

II.

De rerumpublicarum generibus (Pol. III. 6. 7. 8. 9.).

§. 39.

Postquam civitas et civis quis sit, definitum est, quum de eis, qui civitati praesunt quaerendum est tum de eius statu (τάξει). Itaque primum investigat Aristoteles, sintne plura reipublicae genera an unum; deinde, si plura, quaenam sint et quot, et quomodo inter se differant. — Antea autem eam rem, quae civitatem genuit civitatisque finem ita constituit, ut sit τὸ κοινῇ συμφέρον et τὸ ζῆν καλῶς. Duo

deinde imperii genera distinguit, alterum *δεσποτικόν*, heri in servos, qui omnia ad id referat, quod sibi conducat ipsi; alterum *οἰκονομικόν*, patrisfamilias, qui spectet id, quod eis qui pareant conducat. Distribuit autem ita etiam respublicas in probabiles, in quibus magistratus omnia referunt ad eam causam, quae genuit civitatem, et in perniciosas (*ἡμαρτημένας, παρεκβάσεις τῶν ὀρθῶν*), in quibus, qui imperant, ad suam quisque utilitatem refert omnia. Sunt vero probabilia reipublicae genera tria, imperium unius h. e. regis, singulorum h. e. optimatium, populi h. e. populare, et totidem perniciosa illis contraria, dominatus tyranni, factionis (*ὀλιγαρχία*), et plebis (*δημοκρατίαν*).

Iam de tribus perniciosis rerumpublicarum modis accuratius dicit. Tyrannis est despoticus in cives dominatus unius. Quum autem divites et copiosi reipublicae praesunt, *ὀλιγαρχίαν* vocamus eum reipublicae statum. Ea autem est *δημοκρατία*, in qua penes pauperes est omnium summa rerum. Neque enim quot sint qui imperant, tam quaerendum est quam divitesne sint an pauperes. Nam quum divites imperant, quamvis sint numero superiores reliquis, tamen hoc genus vocandum est *ὀλιγαρχία*: contra penes pauperes si imperii summa est, quamvis minus multi sint quam divites, tamen eorum imperium *ὀλιγαρχία* non est sed *δημοκρατία*. Sequitur caput IX., quod viam munit ad quaestionem de eis, qui reipublicae praeficiendi sunt. Quum enim imperare velint pauci quidam, quod ditiores sint, multitudo (*δῆμος*), quod omnes sint liberi, quaestio oritur de iusto *ὀλιγαρχικῷ* et *δημοκρατικῷ*. Hoc quidem iustum et iustum simpliciter quale sit, ut perspiciatur, uberius disserendum est de civitatis causa i. e. cur cives coeant deque eius fine. Ad assequendum autem civitatis finem qui magis conferant, eos dicit et aequalibus libertate anteponendos esse et eis, qui progenie superiores sint vel divitiis. Quibus verbis adiungitur quaestio tertia de eis, qui reipublicae praeficiendi sunt.

III.

Quinam civitati sint praeficiendi.

§. 40.

Ex tribus quaestionibus una est reliqua. Quae quidem ita comparata est, ut Aristotelem in disputationem de optima republica quasi inducat. Est autem haec: *τί δεῖ τὸ κύριον εἶναι τῆς πόλεως;* Utrum multitudini, an copiosis, an optimatibus (*ἐπιεικέσι*) in republica imperium tradendum sit, an uni omnium optimo, an tyranno. Sed eorum quid vis habet quandam dubitationem. Neque enim iustum est, ut tyrannus aut pauperes numero superiores ceteris civibus per vim bona eripiant. Delecti igitur quidam reipublicae praeficiendi sunt aut unus optimus. At alterutrum si fit, reliqui cives honoribus orbantur omnibus. Sed fortasse legibus respublica regenda est. Quid vero? si *ὀλιγαρχικαὶ* sunt leges aut *δημοκρατικαί*? Quaestiones de uno optimo et de optimatibus in alium locum differuntur. Subtiliter dein comprobatur populum, modo ne sit deterior, reipublicae ita praeficiendum esse, ut sit particeps iudiciorum, eligat magistratus ab eisque rationem reposcat. Leges vero debere reipublicae et praeesse et imperare, per se quidem liquet. Quae autem non satis distincte in legibus scripta sunt, diiudicanda ea sunt uni vel pluribus. Leges vero necesse est bonae sint et iustae. Bonae autem nullae, nisi ad probabilia reipublicae genera accommodatae.

Quum autem pares par quiddam et aequabile sibi vindicent, quaerit Aristoteles quibus rebus ei pares sint oporteat, qui pares honores iuste petant. Quicunque igitur eis rebus praestant, quibus detractis respublica aut esse aut rite gubernari non potest, de imperio ei omnes iuste certare possunt. Qui vero aliis rebus pollent, a magistratibus omnino prohibendi sunt. Ex quo efficitur eam rempublicam non esse probabilem, in qua qui una re par sit, partem omnium rerum habeat partem; et contra qui una re dispar, omnium rerum partem disparem. Tum

comprobat de honoribus et magistratibus certare divites, liberos, nobiles, virtute praeditos, multitudinem quadam ratione omnes quidem iuste, quum alii aliis rebus praestent; sed non iuste simpliciter.

Iam vero legislatori utrum videndum sit, quid uni optimo aut delectis quibusdam conducat, an quid multitudini et omnibus, magna quaestio est. Si quidam virtute superant, urbemque explere possunt (*πλήρωμα παρασχέσθαι πόλεως* i. q. *πόλιν διοικεῖν*) optimorum ratio habenda est, illud si secus est, multitudinis. Neque tamen qui virtute omnibus antecellunt, pro reipublicae parte habendi aut cum aliis communi lege adstringendi sunt, quum sint dispares. Quare in democratiis quidem aliisque perniciosis civitatibus suffragia testarum quem *ὀστρακισμόν* appellant utilia et iusta esse videntur. In optima autem civitate si virtute unus omnibus antecedat, quid faciendum sit non facile est ad constituendum. Expellendum talem virum esse aut aliorum imperio subiciendum, quis dicat? Itaque aliter fieri non potest, quin ille evadat rex, alii ei omnes pareant. Haec de tertia quaestione.

CAPUT V.

De optimae reipublicae statu.

θεωρηθέντων γὰρ τούτων τάχ' ἂν μᾶλλον συνίδοιμεν (καὶ) ποία πολιτεία ἀρίστη (cf. §. 16.).

I.

Optima respublica, per quos regenda sit.

§. 41.

De tertia quaestione (§. 40.) ita dictum est, ut ad eos qui virtute praediti sunt solos imperium deferendum esse eluceat si eidem et opulenti sint natique genere nobili. Quare deinceps disceptandum est, utrum penes unum

optimum esse optimae reipublicae imperium oporteat an penes plures, eosque bonos, et unius imperium regale, utrum omnibus rebuspublicis conducat, an aliis quidem aliis non.

Oritur autem prima quaestio, quot sint regni genera, et quomodo inter se differant. Sunt autem genera quinque. Unum quidem vocatur Laconicum, in quo regi nihil commissum est nisi belli administratio. Altera est *παμβασιλεία*, in quo rex imperii tenet summam. Haec inter genera reliqua tria in medio posita sunt. Quare de his non dicendum est tribus. A disputatione autem etiam primum genus excludit, quod quum in omnibus rebuspublicis belli administratio sit perpetua, non reipublicae prae se ferat speciem sed legum. De *παμβασιλεία* autem ita disputare incipit, ut controversiam proponat, utrum viri optimi praestet imperium, an optimarum legum. Leges quum non aeque pravis cupiditatibus quam homines corrumpantur, praebeant oportet *τὸν λόγον τὸν καθόλου*; de singulis rebus, actionibus, litibus quum leges scribi non possint, iudicium relinquendum est uni aut civibus omnibus. Omnes liberi melius quam pauci aut singuli et incorruptius iudicant, modo ne de eis rebus quae lege constitutae sunt iudicio utantur proprio. Sed boni cives si non multi reperiuntur pauci potius iudices constituendi sunt quam unus. Quare civitati si plures insunt boni homines, horum imperium i. e. *ἀριστοκρατία* praestat imperio unius. Si autem quis regnum maluerit successionem ait magnam habere dubitationem (Pol. III. 15.).

Iam ad disputationem de *παμβασιλείᾳ* propius accedit. Neque tamen, ut eius natura ferebat, aperte de hac re egit, sed suam ipsius in aliorum dicta quasi abdidit sententiam[1]).

---

1) De regno caute dixisse videtur propter eam quae erat cum rege Alexandro familiaritatem cf. Pol. III. 15.: *αἱρετώτερον ἂν εἴη ταῖς πόλεσιν ἀριστοκρατία βασιλείας*, non inusitate sed modeste. In Pol. III. 16. notanda sunt haec: *δοκεῖ δέ τισιν οὐδὲ κατὰ φύσιν εἶναι*

In medium igitur profert, quod alii censuerunt, contra naturam esse παμβασίλειαν, ubicunque ex paribus constet respublica. Etenim iustum est, ut aequalibus aequalis sit et dignitas et honor; quare item iustum, ut pares tum imperent, tum pareant (οὐδὲν μᾶλλον ἄρχειν ἢ ἄρχεσθαι δίκαιον). Ergo alternis imperare debent et parere. Quod ipsum quum legis naturam habeat, legis imperium praestat imperio unius. Eodem modo plures si reipublicae imperium tenent, legibus subiecti sint oportet. Iam vero reipublicae leges praeponendas esse, iterum inculcat. Quae autem in legibus manca sint et imperfecta, non uni supplenda esse, sed pluribus hominibus, et eis quidem, qui legibus recte instituti sint et educati. Neque enim unum posse omnia curare et circumspicere (ἐφορᾶν). Quare reges alios sibi assumere, quo melius rempublicam possint gubernare (Pol. III. 16.).

At vero quamvis ἀριστοκρατία praeferenda sit, sunt tamen populi, quibus conveniat regnum. Natura enim alii populi δεσποστοί, alii βασιλευτοί, alii πολιτικοί, eisque singulis iustum est et utile, ut pareant tyranno, regi, populo. Sed quum ex δεσποστοῖς, qui natura non sunt liberi, civitas constare nequeat, civitatis status neque tyrannis esse potest, neque ὀλιγαρχία aut δημοκρατία. Deinde ipse affirmat, quod ex aliorum sententia antea proposuit, nec utile nec aequum esse, ut unus paribus imperet et aequalibus, sive scriptae sint leges, sive non, sive bonus ille, sive malus. Nunquam id iustum esse, si unus virtute omnino praestet; nisi *quodam modo* praestet. Modus autem ille quidem iam in Pol. III. 13. significatus quinam sit accuratius definitur. Sed ante explicat, qualis natura populus

---

τὸ κύριον ἕνα πάντων κ. τ. λ. et: *ἀναγκαῖον γὰρ εἶναί τινας ἀρχάς, ἀλλ' οὐχ ἕνα τοῦτον εἶναί φασι δίκαιον ὁμοίων γε ὄντων πάντων* et: *οὐ τοίνυν τοῦτό γ' ἀντιλέγουσιν, ὡς οὐκ ἀναγκαῖον ἄνθρωπον εἶναι τὸν κρινοῦντα περὶ τῶν τοιούτων, ἀλλ' ὅτι οὐχ ἕνα μόνον ἀλλὰ πολλούς. κ. τ. λ.* et *Ἃ μὲν οὖν οἱ διαμφισβητοῦντες πρὸς τὴν βασιλείαν λέγουσι, σχεδὸν ταῦτ' ἐστίν.*

sit βασιλευτός, qualis ἀριστοκρατικός, qualis πολιτικός. *Βασιλευτὸν igitur eum esse populum, cui natura ingeneravit gentem virtute praestantem πρὸς ἡγεμονίαν πολιτικήν; ἀριστοκρατικὸν autem eum populum qui naturâ ferat civium multitudinem (πλῆθος), qui liberi quidem, tamen parere possint eis, qui virtute sint principes πρὸς πολιτικὴν ἀρχήν; πολιτικὸν vero eum esse populum, cui natura insit militaris et bellicosa multitudo ita generata, ut possit tum parere tum imperare secundum eam legem, quae copiosis imperia pro dignitate distribuat. Si igitur una gens aut homo unus virtute tantum praestat, ut eius unius virtus aliorum virtutem vincat omnium, iustum est, illa gens ut sit regalis omniumque potens, et ille unus rex.* Hoc enim iustum esse ex eorum etiam sententia, qui in ἀριστοκρατίᾳ superioribus virtute, in ὀλιγαρχίᾳ eis qui opibus praestent, in δημοκρατίᾳ numero superantibus imperium velint committere. Tali ergo cives parere debent viro; neque enim illum aut aliorum voluntati subiicere licitum est aut expellere aut interimere. Ac dictum est regnum quot habeat genera, et quibus populis conducat, et quibus non conducat regnum h. e. quibus status optimatium conferat aut popularis.

§. 42.

De libri III. integritate, ordine et dispositione.

Libro tertio ullam partem deesse, recentiorum scriptorum nemo putavit. Neque capitum ordo unquam mutatus est, nec mutari posse videtur. Etenim ea quae in nostris editionibus est capitum series et rebus tractatis convenit et verbis, quibus in singulis capitibus quae praecedunt commemorantur.

Iam pergendum erat ad libri III. finem. Caput autem ultimum quum disputationem nostram deducat in mediam controversiam, postea explicabitur. Est autem inter homines doctos in eo controversia,

§. 43.

Libro III. utrum continuandi sint libri IV. V. VI., an VII. et VIII.

Quae quidem quamvis iamdiu nostraque aetate multis agitata sit doctissimorum virorum disputationibus, nondum tamen omnino diiudicata esse videtur. Omnium enim princeps, quod quidem scimus, Nic. Oresmius (in ann. ad Franco-Gallic. quam scripsit Pol. interpretationem), libro III. adiungendos esse dixit libros VII. et VIII. In eadem sententia fuerunt B. Segnius Florentinus (qui eosdem Pol. libros reddidit italice), Antonius Scainus (in Polit. editione, Romae 1577.), Gilliesius (in Anglica conversione, Lond. 1779.). Defendit idem luculentis rationibus Conringius (in introd. cap. V.). Quem nostra aetate secuti sunt J. Barth. St. Hilarius[1]), Leonh. Spengelius[2]), Stahrius[3]), Koppius[4]). Ab eorum autem parte, qui librorum ordinem immutandum esse negarunt, recentioribus temporibus steterunt Schneiderus, Goettlingius, Bieseus[5]), Stahrius (in editione Arist. Pol.), Woltmannius[6]), Car. Welckerus[7]), Forchhammerus[8]). Ac de eis qui de hac re scripserunt dictum est.

Rationes autem et argumenta alterius partis quum tot sint et tanta, ut quod ab altera contra dictum sit, quodammodo obruant: non alienum est primum quidem aperire, quo factum sit, ut vel doctissimi viri fallerentur. In errorem igitur eo inducti sunt, quod *optima respublica* quum VII. VIII. tum IV. V. VI. libris fingitur et consti-

---

1) Arist. Pol. Paris. 1837.
2) Münch. Gel. Anz. 1845. Nro. 110. 11. et „Ueber die Pol. des Arist."
3) Berliner Jahrbücher 1838. II. p. 2. sqq.
4) Münch. Gel. Anzeigen, 1839. Nro. 87.
5) l. c. II. 400.
6) N. Rhein. Museum, 1842. p. 321.
7) N. Staats-Lexikon s. v. Aristoteles.
8) Verhandl. der Philologen-Versammlung in Cassel, 1843. p. 81—91.

tuitur. Utraque de civitate optima quum postea uberius disputandum sit, hoc loco mentionem faciam necessariam. Quisquis igitur, nulla praesumpta opinione, Politicorum libros pertractabit, facile intelliget, *libris VII. et VIII. rempublicam fingi vere optimam, quam omnibus virtutibus praediti regunt aut plures aut unus.* Quare homines eisdem libris describuntur natura optime generati, terra maxime opportuna omnesque res, quales optantur in civitate optima. Eandem ob causam disputatur de legibus institutisque optimis, de aptissima urbis aedificatione, de educatione, qua una omnium bonorum ultimum homines assequi possunt. *At vero libro IV. disseritur de altera civitate, eadem etiam optima sed plerisque civitatibus* (*πολιτείᾳ ἀρίστῃ ταῖς πλείσταις πόλεσι καὶ τοῖς πλείστοις τῶν ἀνθρώπων*), ab illa toto coelo distante. Hanc enim civitatem homines gubernant, qui una militari virtute excellunt possidentque res modicas (Pol. IV. 13.). Est autem civitas illa quidem popularis (*πολιτεία*). In probabilibus quidem numeratur, manca tamen est prae *ὀρθοτάτῃ πολιτείᾳ* et perniciosa (ibid. 8.). Quam eandem Aristoteles dicit *μάλιστα πάσαις ταῖς πόλεσιν ἁρμόττουσαν* (Pol. IV. 1.), *ῥᾴω καὶ κοινοτέραν ἁπάσαις* (ibid.), *ταῖς πλείσταις ἁρμόττουσαν* (ibid. 2), *τὴν καλουμένην* v. *ὀνομαζομένην πολιτείαν*, etiam *ἀρίστην πολιτείαν*. Si tamen civitas illa pro vere optima haberi possit, verbis *ἀρίστη πολιτεία* addit *ταῖς πλείσταις πόλεσιν* (Pol. IV. 11.) aut *ὡς ἐπὶ τὸ πλεῖστον εἰπεῖν* (Pol. IV. 13.).

Quod dixi duas esse descriptas civitates optimas plane inter se discrepantes, id quum fugeret viros quosdam ceteroquin doctos in graves detulit errores. Ita factum est, ut Schneiderus post librum III. locum de *ἀριστοκρατίαις* deesse putaret (est autem is in Pol. IV. 11.), ut Goettlingius fictam esse ab Aristotele ullam reipublicae formam optimam prorsus negaret. Hac re Woltmannio, qui quidem de republica vere optima disputari libris VII. et VIII. concessit, id tamen accidit, ut Politica dissecaret in partes tres.

Quarum primam libris I. II. III. inesse censuit speculativam, alteram practicam libris IV. V. VI., tertiam tenere ait utriusque praecedentium rationem practicam et speculativam. Neqne tamen rem ipsam quae in III. parte tractatur, ad I. partem refert et ad II., sed ad I. solam [1]). Denique Car. Welckerus quum plane eandem rempublicam, de qua libro IV. sermo esset, describi atque constitui putaret libris VII. et VIII., librorum ordinem qui est in codicibus ab Aristotele institutum esse contendit [2]).

Iam ut ad rem ipsam propius accedamus, primum dicemus de libri III. capite XVIII. Superiore igitur disputatione Aristoteles optimae reipublicae formam esse effecit aut regnum aut optimatium statum. Popularem vero statum aptum esse ad civitatem, in qua militari virtute multi excellant, quum non usuveniat, ut omnibus virtutibus praedita sit multitudo. Capite autem XVIII. ita pergit: Esse quidem tres civitates probabiles, earum autem optimam eam, quae ab optimis regatur (i. e. ab eis qui omnibus virtutibus summi sunt). Ab optimis autem regi aut regnum, in quo unus vel tota quaedam gens alios cives omnes virtute superet, aut optimatium statum, in quo plures praestent et alii possint parere, alii imperare ad degendam vitam optimam [3]). *Boni* autem

1) p. 334. „Die beiden Principien aber, welche der erste Theil des Werkes als die Principien des Staatsbegriffs überhaupt entwickelte, erhalten in diesem besten Staate (VII. VIII.) gerade ihre vollkommenste Geltung, ich meine der ethische Zweck und die Gleichheit, und beide zugleich eine Form, die sich scharf genug ausprägt und in den Grundzügen dem Wesen des Dorischen Staates entspricht.“ De tota Pol. partitione Spengelius (Münch. Gel. Anz.) recte: „Dadurch, dass er (Woltmannius) die Politik nicht in ihre wahren Bestandtheile zerlegt, glaubt er den jetzigen Zustand rechtfertigen zu müssen.“

2) De Forchhammero cf. Spengel. Pol. d. Arist. ann. 44.

3) Aristotelis verba haec sunt: *Ἐπεὶ δὲ τρεῖς φαμὲν εἶναι τὰς ὀρθὰς πολιτείας, τούτων δ' ἀναγκαῖον ἀρίστην εἶναι τὴν ὑπὸ τῶν ἀρίστων οἰκονομουμένην, τοιαύτη δ' ἐστὶν ἐν ῇ συμβέβηκεν ἢ ἕνα τινὰ συμπάντων*

viri virtutem quum eandem esse constet cum *eius* virtute, *qui in optima republica civis sit: eundem* esse modum *easdemque res*, quibus *vir bonus* reddatur et (cives reddantur boni) *civitas* componatur [1]) optima (*ἀριστοκρατουμένη aut βασιλευομένη*); quare et educationem *eandem* esse et assuetudinem, quibus *vir* reddatur *bonus* et *civis πολιτικὸς et βασιλικός* [2]). Sequuntur haec: *Διωρισμένων δὲ τούτων*

ἢ γένος ὅλον ἢ πλῆθος ὑπερέχον εἶναι κατ' ἀρετήν, τῶν μὲν ἄρχεσθαι δυναμένων τῶν δὲ ἄρχειν πρὸς τὴν αἱρετωτάτην ζωήν, κτλ. Verba ultima Spengelius (Ueber die Pol. des Arist. ann. 19.) ita: *τῶν μὲν ἄρχεσθαι καὶ ἄρχειν δυναμένων τῶν δ' ἄρχειν* (vel *τῶν μὲν ἄρχειν καὶ ἄρχεσθαι δυναμένων τῶν δ' ἄρχειν.*) Hanc coniecturam mea quidem sententia non probabit, qui ea perpenderit quae sunt in Pol. III. 17. *ἀριστοκρατικὸν δὲ πλῆθος, ὃ πέφυκε φέρειν πλῆθος ἄρχεσθαι δυνάμενον τὴν τῶν ἐλευθέρων ἀρχὴν ὑπὸ τῶν κατ' ἀρετὴν ἡγεμονικῶν πρὸς πολιτικὴν ἀρχήν, πολιτικὸν δὲ πλῆθος, ἐν ᾧ πέφυκε [καὶ ἓν] ἐγγίνεσθαι πλῆθος πολεμικόν, δυνάμενον ἄρχεσθαι καὶ ἄρχειν κατὰ νόμον κτλ.*

1) *φανερὸν ὅτι τὸν αὐτὸν τρόπον καὶ διὰ τῶν αὐτῶν ἀνήρ τε γίνεται σπουδαῖος καὶ πόλιν συστήσειεν ἄν τις ἀριστοκρατουμένην ἢ βασιλευομένην.* verbum *συνιστάναι* non idem valet quod *καθιστάναι*; alterum significat «componere» (zusammensetzen); alterum «constituere» (errichten).

2) In codd. sequuntur verba haec: *ὥστ' ἔσται καὶ παιδεία καὶ ἔθη ταὐτὰ σχεδὸν τὰ ποιοῦντα σπουδαῖον ἄνδρα καὶ τὰ ποιοῦντα πολιτικὸν καὶ βασιλικόν.* De quibus Spengelius (Ueber die Pol. des Arist. ann. 20.) haec annotavit: «Conring glaubte noch *καὶ ἀριστοκρατικὸν* beifügen zu müssen und Schneider und Coraes haben dieses gebilligt; vielmehr sind die Worte *καὶ βασιλικὸν* falsch und aus dem obigen irriger Weise heruntergenommen; Zweck der *βασιλεία* ist nicht, einen *βασιλικὸς* hervorzubringen sondern die Bürger gut und glücklich zu machen; gerade dieser Begriff des guten Bürgers kann hier nicht entbehrt werden, und schon der Gegensatz fordert *καὶ τὰ ποιοῦντα πολιτικὸν* (oder *πολίτην*) *ἀγαθὸν* oder *σπουδαῖον.*» Sed pro *βασιλικὸν* si scripserimus *βασιλευτὸν* (cf. Pol. III. 17.), non desiderabimus boni civis notionem. Nam *πολιτικὸς* civis est *ἀριστοκρατίας*, *βασιλευτὸς* autem regni, quorum uterque quippe optimae reipublicae civis bonus est.

περὶ τῆς πολιτείας ἤδη πειρατέον λέγειν τῆς ἀρίστης, τίνα φέφυκε γίνεσθαι τρόπον καὶ καθίστασθαι πῶς. Ἀνάγκη δὴ τὸν μέλλοντα περὶ αὐτῆς ποιήσασθαι τὴν προσήκουσαν σκέψιν.

Haec et alia, quae non solum Politicis sed Ethicis etiam continentur, deinceps consideremus, ut quoad eius facere possimus, de librorum ordine controversiam dirimamus.

I. In Ethicis igitur Aristoteli id propositum fuisse diximus, ut illustraret *τῆς πολιτικῆς δυνάμεως* **finem v. summum bonum humanum, animi** *ἐνέργειαν* **secundum virtutem. Politicorum libros autem Ethicis adiungi necesse fuit, ut summum illud bonum, virtutem dico, quomodo homines consequerentur explicaretur. Quum autem ad virtutem consequendam leges necessariae sint rectae bonaque et educatio et consuetudo et civitas, in Politicis inprimis quaerendum est,** ***quaenam sit bona v. optima civitas, eiusque quaenam leges de educatione, de assuetudine, de tota vita.*** **Virtuti autem quum tanquam instrumentis** ***bonis quibusdam*** **opus sit** ***externis, ea*** **quoque in Politicis adumbranda sunt. Quibus omnibus expositis, concludi totum opus (Ethica et Politica) poterat, quum adulescentes bonorum ultimum et quid esset didicissent, et qua id ratione impertiretur civitatibus. Praeter haec nemo certe aliud quidquam requireret, nisi de omnibus rebuspublicis Aristoteles, non de optima solum civitate et legibus disputare instituisset. Quid autem? Nonne prius illam qua Ethica inchoata perficiuntur rem necessariam absolvet, quam proferat aliam et minus necessariam et cum Ethicis non admodum coniunctam? An Aristoteli ulla causa fuit, cur praeter eam quam res ipsa monstrasset disputandi viam aliam ingrederetur? Neque scriptor ipse, neque interpretum quisquam ullam unquam causam attulerunt. Attamen secundum tralaticium librorum ordinem primum dicitur de omnibus civitatibus praeter optimam, deinde** ***de republica***

optima, de bonis externis ac de civium educatione libris VII. et VIII.

II. Primum argumentum ex re ipsa sumpsimus. Accedunt autem Ethicorum verba illa quidem firmissima: *θεωρηθέντων γὰρ τούτων τάχ' ἂν μᾶλλον συνίδοιμεν καὶ ποία πολιτεία ἀρίστη, καὶ πῶς ἑκάστη ταχθεῖσα καὶ τίσι νόμοις καὶ ἔθεσι χρωμένη.* Ex quibus iam supra (§. 16.) effecimus, disputaturum Aristotelem de optima republica prius, quam de reliquis. De optima autem civitate quum se dicturum pollicitus sit, docere debet eas res omnes, quas ab aliis qui de optima republica scripserunt tractatas esse scimus, veluti leges institutaque optima, educationem, alias. Quas quidem omnes expositas esse videmus libris VII. et VIII.

Sed dicat quispiam optimae reipublicae statum quidem philosophum ante descripturum quam civitates reliquas, eius leges aut instituta non item. At id si verum est, quum de moribus consuetudinibusque *omnis* reipublicae (*ἑκάστης πολιτείας*) *praeter eam* quam ante nominavit *optimam* disserere velit, eundem locum in quaestione de optima civitate omnino praetermittet. Quod tamen secus esse novimus.

III. Eodem autem in consilio quod aperuit in Ethicis permanet etiam in Politicis. Pertractatis enim oeconomicis, ita librum II. exorditur, quasi disputationem de optima republica iam libro sit sequenti aggressurus. *Ἐπεὶ δὲ προαιρούμεθα θεωρῆσαι περὶ τῆς κοινωνίας τῆς πολιτικῆς, ἡ κρατίστη πασῶν τοῖς δυναμένοις ζῆν ὅτι μάλιστα κατ' εὐχήν, δεῖ καὶ τὰς ἄλλας ἐπισκέψασθαι πολιτείας . . . . ἔτι δὲ τὸ ζητεῖν τι παρ' αὐτὰς ἕτερον μὴ δοκῇ πάντως εἶναι σοφίζεσθαι βουλομένων, ἀλλὰ διὰ τὸ μὴ καλῶς ἔχειν ταύτας τὰς νῦν ὑπαρχούσας, διὰ τοῦτο ταύτην δοκῶμεν ἐπιβαλέσθαι τὴν μέθοδον* (sc. *περὶ τῆς κοινωνίας τῆς πολιτικῆς ἡ κρατίστη κ. τ. λ.*). Aristoteles igitur consilium illud quod ceperat aut

mutavit, aut libros ipse aliter ac plerique viri critici continuavit.

IV. Huc accedit, quod in libro II. scriptor sine controversia magis id curat, ut quid in optimam rempublicam cadat aut non cadat, efficiat potius, quam quid in reliquas. Plerumque optimae civitatis, quae libris VII. et VIII. describitur, rationem habet, reliquarum non item. Quae laudantur aut reprehenduntur, eorum nonnulla tum demum accurate et omnino perspicies, quum pertractaveris librum VII. Quae omnia aliter facienda erant, si libro III. adiungerentur libri IV. V. VI.

Idem fere illis de tribus quaestionibus dicendum est, quae Pol. III. 1—14. continentur. Nam si prius de ceteris civitatibus fuisset disputaturus, eas omnes praecipue vero primam cur non aliter instituisset, explicari nullo modo potest.

V. Praeterea in libro II. vestigia quaedam exstant, ex quibus non sine magna probabilitate colligi potest, ab Aristotele libros VII. et VIII. antepositos esse libris IV. V. VI. In capite enim VI. quaestionem de agris partiendis in alium locum differens, his quidem utitur verbis simplicibus: *Ἀλλὰ περὶ μὲν τούτων πῶς οἰόμεθα βέλτιον ἂν ἔχειν λεκτέον ὕστερον.* Qui quidem locus est *in capite X. libri VII.* Paulo post quum *in libri IV. capp. IX.* sqq. de *πολιτείᾳ* quam vocant disputationem proferat, unum verbum *ὕστερον* non satis esse ratus, adiungit alia: *Ὡς μὲν οὖν οὐκ ἐκ δημοκρατίας καὶ μοναρχίας δεῖ συνιστάναι τὴν τοιαύτην πολιτείαν, ἐκ τούτων φανερὸν καὶ τῶν ὕστερον ῥηθησομένων, ὅταν ἐπιβάλλῃ περὶ τῆς τοιαύτης πολιτείας ἡ σκέψις.* Uterque locus quid demonstret et quam necessarie, facile intelliget, qui Aristotelis in hac re et consuetudinem cognitam habet et accurationem. Nam vocem *ὕστερον* adhibet ad significandum alium eiusdem disputationis locum. At alius disputationis locum si significat, alia solet verba aut adhibere aut adiungere. Ceterum ex verbis ipsis *ὅταν*

ἐπιβάλλῃ περὶ τῆς τοιαύτης πολιτείας ἡ σκέψις effici aliquid posse putaverim. Sed quaeramus vestigia alia. Ultimo in capite VIII. haec sunt: *ἄλλων γάρ ἐστι καιρῶν*, quibus indicare solet eos locos, qui tractantur magno spatio interposito. Illa verba autem pertinent ad Pol. V. 3. et 7., quae si retinendus esset librorum ordo, in eadem essent Politicorum parte. Idem cadit in ea, quae sunt in capite IX. . . . . *τὴν πρὸς τοὺς ἄῤῥενας ποιήσας ὁμιλίαν, περὶ ἧς εἰ φαύλως ἢ μὴ φαύλως ἕτερος ἔσται τοῦ διασκέψασθαι καιρός*; quibus eiusdem libri V. significat capp. X. et XI. Aristoteles igitur his sibi locis aut non constitit aut alium instituit librorum ordinem.

VI. Iam ad ea argumenta transgrediendum est, quorum plurima iam ab aliis in medium prolata sunt. *Optima igitur respublica per quos regenda sit,* investigat Aristoteles libri III. parte ultima. Quid autem? Nonne perget de optima republica disputare eiusque exponere leges, instituta, disciplinam? Quid tam a sano ordine, quid tam a recta disputandi ratione abhorret, quam primum *de optima republica* dicere, deinde ea disputatione temere praecisa, *de reliquis civitatibus* i. e. alia de re diversa, tum his interpositis, reverti *ad optimam rempublicam*, eamque quaestionem ad finem perducere. Hoc in Aristotelem certe cadere non potest.

VII. Iam ad caput XVIII. pervenimus. Cui compluria insunt argumenta, quae primus indagavit partim Conringius, partim Hilarius, partim Spengelius. Sed ad rem ipsam accedamus. Illo igitur capite Aristoteles probabilium rerumpublicarum eam optimam esse dicit cui praesint optimi, sive status sit regalis sive optimatium, in quo alii possint obtemperare, imperare alii omnia referentes ad vitam optimam (*πρὸς τὴν αἱρετωτάτην ζωήν*). Optimae autem reipublicae civibus quoniam *πρὸς τὴν αἱρετωτάτην ζωὴν* omnia referenda sunt, inprimis ea quae sit sciendum est. Ergo primum instituenda disputatio est de *αἱρετωτάτῃ ζωῇ*. Ecce autem tribus libris interpositis, in libri VII. exordio ita legimus: *Περὶ πολιτείας τὸν μέλλοντα*

ποιήσασθαι τὴν προσήκουσαν ζήτησιν ἀνάγκη διορίσασθαι πρῶτον, τίς αἱρετώτατος βίος. Deinde sequitur de vita optabili disputatio ipsa, quam proximam post librum III. fore demonstravimus. — Illis autem in verbis id quoque memoratu dignum iudico, quod Aristoteles, quum supra scripsisset *αἱρετωτάτη ζωή*, ne eadem offenderent, hoc loco posuit *αἱρετώτατος βίος* [1]).

VIII. In eodem autem capite haec sunt: »Quum viri boni virtus eadem sit cum eius virtute, qui in optima republica civis sit, eandem esse rationem, qua quis vir bonus evadat et optima componatur civitas, quum optima civitas constet ex bonis civibus. Quare et educationem et consuetudinem eandem esse, qua quis vir bonus reddatur et civis optimae reipublicae. His igitur verbis et quam secuturus sit in disputatione de optima civitate viam et rationem demonstrat, ostenditque se civitatem quasi a prima aetate educaturum. Haec in libro III.: libris vero VII. et VIII. ingreditur eandem quam monstravit disputandi viam.

IX. Tum dicit haec: *Διωρισμένων δὲ τούτων περὶ τῆς πολιτείας ἤδη πειρατέον λέγειν τῆς ἀρίστης τίνα πέφυκε γίνεσθαι τρόπον καὶ καθίστασθαι πῶς.* Aristoteli igitur propositum fuit, ut doceret, optima respublica et quomodo natura oriretur et qua ratione constitueretur. Etenim verbo *γίνεσθαι* significantur ea, quae ex natura requiruntur terrae et hominum, optimae reipublicae civibus ad bene beateque vivendum

---

1) De hoc argumento dixerunt et Spengelius (Münch. Gel. Anz. l. c. et „Ueber die Pol. des Arist.“ p. 20.): «Da Ar. vom ersten Ursprung an beginnen will, so können die jetzt abgerissenen Worte des dritten Buches keinen andern Gedanken enthalten, als wie schon der Ausdruck *πρὸς τὴν αἱρετωτάτην ζωὴν* errathen lässt, die Zurückführung auf den höchsten Lebenszweck, wie wir es im siebenten Buche finden.» et Stahrius, qui haec scripsit. «Die Untersuchung aber *τίς αἱρετώτατος βίος*; wird nothwendig durch den am Schlusse des 3. Buches gemachten Zusatz *πρὸς αἱρετωτάτην ζωήν*.

necessaria. Verbo autem *καθίστασθαι* ea declarantur, quae praestare debet legislator. Aristotelis autem consuetudine cognita, praenoscimus, quanquam civium educationem prius commemoravit, eum tamen prius dicturum, quomodo optima respublica et natura fiat et constituatur. Hoc argumentum quantam habeat probandi vim, ex libro VII. perspicietur.

X. Sed quod ex IX. argumentis ratione intelligitur, libro III. continuandos esse VII. et VIII., id ut vel oculis cerni possit, fortuna factum est non adversa. In fine libri III. haec legitur enuntiati pars *ἀνάγκη δὴ τὸν μέλλοντα περὶ αὐτῆς ποιήσασθαι τὴν προσήκουσαν σκέψιν*, cui deest verbum quod dicimus praedicatum. Septimi autem libri initio haec sunt *περὶ πολιτείας ἀρίστης τὸν μέλλοντα ποιήσασθαι τὴν προσήκουσαν ζήτησιν ἀνάγκη διορίσασθαι πρῶτον τίς αἱρετώτατος βίος*. Subtiliter autem coniecit Spengelius verba *ἀνάγκη δὴ.... σκέψιν* scripta fuisse in paginae fine, in initio vero sequentis paginae haec *διορίσασθαι πρῶτον τίς αἱρετώτατος βίος*. Quae interpositis libris IV. V. VI. a priore enuntiati parte seiuncta, his verbis suppleta sunt *Περὶ πολιτείας ἀρίστης τὸν μέλλοντα ποιήσασθαι τὴν προσήκουσαν ζήτησιν ἀνάγκη*. Quae quum necessaria esse viderentur, inter scriptoris verba recepta sunt. Huius coniecturae probabilitati id quoque accedit, quod *ζήτησις* vox Aristoteli minus usitata est[1]).

XI. Iam transgrediamur ad libros IV. V. VI. Primum autem quaeramus, qua ratione libri III. et IV. inter se nexi sint et apti, si inter eos deesse nihil statuamus. Librum igitur tertium sequitur in quarto prooemium. Quod

1) Contra hanc coniecturam dixit quidem Woltmannius l. c. p. 337.: attamen eam ipse probabilem esse sub conditione quadam concessit: «Nach meiner Ansicht scheint es mir demnach nur dann gerechtfertigt, die Schlussworte des 3. Buches aus den Anfangsworten des 7. zu ergänzen, wenn wirklich die innern Gründe genügend und unzweifelhaft wären, deren man sich bedient um die beiden letzten Bücher dem 3. unmittelbar anzuschliessen.»

quidem quum primum legerem nec inter librum tertium et quartum quidquam desiderari suspicarer: alia omnino non intellexi, alia per mihi mira visa sunt. Relegi: et idem mihi accidit, nisi quod multa non mira ut ante, sed insolentia nedum absurda visa sunt. Etenim manifestum est prooemium eo consilio libro IV. praepositum esse, ut et declararetur, cur de civitatibus perniciosis adiungeretur quaestio, et quaenam res tractarentur et quomodo, et cur ita disponerentur. Sed quid est, cur prooemio, quod proximum legitur in fine libri superioris, novum addatur planeque diversum? Aristoteles quum in priore prooemio se dicturum pollicitus sit, civitas optima quomodo et naturâ oriatur et a legislatore constituatur: quid est quod in altero V sequentis disputationis locos enumeret, quibus ab optima civitate nihil magis alienum (cf. Pol. IV. 2. s. f.).

XII. Sed consideremus singula. In Pol. IV. 1. igitur neque *πολιτικῆς* cum exercendi arte comparatio, neque disputatio de politici officio et opere iuste intelligi potest, nisi quae sit optima civitas, intellectum fuerit prius. Neque habemus quo referamus hanc sententiam: *οὐ γὰρ μόνον τὴν ἀρίστην δεῖ θεωρεῖν ἀλλὰ καὶ τὴν δυνατήν, ὁμοίως δὲ καὶ τὴν ῥᾴω καὶ κοινοτέραν ἁπάσαις.* Idem cadit in ea, quae de legibus in I. capitis fine dicta sunt. Neque recte interpretari poteris eiusmodi enuntiata Pol. IV. 1. *τῷ γὰρ κάλλιστα πεφυκότι καὶ κεχορηγημένῳ (σώματι) τὴν ἀρίστην (ἄσκησιν) ἀναγκαῖον ἁρμόττειν* et ibidem *νῦν δ' οἱ μὲν τὴν ἀκροτάτην καὶ δεομένην πολλῆς χορηγίας ζητοῦσι μόνον* et Pol. IV. 2. *βούλεται γὰρ ἑκατέρα κατ' ἀρετὴν συνεστάναι κεχορηγημένην*; nisi legeris, quae Pol. VII. 13. etc. sunt de eis rebus, quas optimae civitati naturâ et fortunâ suppeditari oportet.

XIII. Iam dicendum est de cap. II. verbis: *Ἐπεὶ δ' ἐν τῇ πρώτῃ μεθόδῳ περὶ τῶν πολιτειῶν διειλόμεθα τρεῖς μὲν τὰς ὀρθὰς πολιτείας, βασιλείαν, ἀριστοκρατίαν, πολιτείαν, τρεῖς δὲ τὰς τούτων παρεκβάσεις, τυραννίδα μὲν βασιλείας,*

ὀλιγαρχίαν δὲ ἀριστοκρατίας, δημοκρατίαν δὲ πολιτείας καὶ περὶ μὲν ἀριστοκρατίας καὶ βασιλείας εἴρηται (τὸ γὰρ περὶ τῆς ἀρίστης πολιτείας θεωρῆσαι ταὐτὸ καὶ περὶ τούτων ἐστὶν εἰπεῖν τῶν ὀνομάτων, βούλεται γὰρ ἑκατέρα κατ' ἀρετὴν συνεστάναι κεχορηγημένην) ἔτι δὲ τί διαφέρουσιν ἀλλήλων ἀριστοκρατία καὶ βασιλεία, καὶ πότε δεῖ βασιλείαν νομίζειν, διώρισται πρότερον, λοιπὸν περὶ πολιτείας διελθεῖν τῆς τῷ κοινῷ προσαγορευομένης ὀνόματι καὶ περὶ τῶν ἄλλων πολιτειῶν κ. τ. λ. Verba in medio posita ad VII. et VIII. libros retulerunt Couringius, Barth. Hilarius, alii; recte. De optima enim republica et de *ἀριστοκρατίᾳ* et regno disputare idem est; dictum autem est de *ἀριστοκρατίᾳ* et regno, ergo etiam de optima republica. De optima autem republica disserere constituit in fine libri III. et revera disseruit libro VII. et VIII. Quum autem hoc loco significetur, ea de re quae libris VII. et VIII. tractatur iam dictum esse: efficitur ante hunc locum libros VII. et VIII. ponendos esse. Quae argumentatio his quoque confirmatur verbis: *ἑκατέρα κατ' ἀρετὴν συνεστάναι κεχορηγημένην*; virtutis enim *χορηγία* quae sit exposuit libro VII. Quod Woltmannius quae istis verbis significantur omnia legi in tertio libro putavit, male eum Aristotelis verba intellexisse neque cognitam habuisse citandi consuetudinem, recte ait Spengelius. Ad libri tertii ultimum referenda quidem sunt verba *ἔτι δὲ τί διαφέρουσιν ἀλλήλων ἀριστοκρατία καὶ βασιλεία, καὶ πότε δεῖ βασιλείαν νομίζειν διώρισται πρότερον*. At vero ea quae praecedunt: *καὶ περὶ μὲν ἀριστοκρατίας.... κεχορηγημένην* ad tertium librum pertinere nullo modo possunt nec ad eius partem priorem, in qua de tribus quaestionibus dictum est, nec ad posteriorem. Is autem Aristotelis mos est, ut qua de re superiore loco locutus sit, eam si commemoret, anteponat rebus aliis prius quidem tractatis.

XIV. Est locus alius in capite III. *Ἔτι πρὸς ταῖς κατὰ πλοῦτον διαφοραῖς ἐστὶν ἡ μὲν κατὰ γένος ἡ δὲ κατ' ἀρετήν, καν εἴ τι δὴ τοιοῦτον ἕτερον εἴρηται πόλεως εἶναι μέρος*

ἐν τοῖς περὶ τὴν ἀριστοκρατίαν (*τῆς ἀριστοκρατίας*) *ἐκεῖ γὰρ διειλόμεθα ἐκ πόσων μερῶν ἀναγκαίων ἐστὶ πᾶσα πόλις.* Qui nusquam referri potest nisi ad Pol. VII. 8., ubi necessariae civitatis dinumerantur partes. Quodsi quispiam librum VII. *περὶ τῆς ἀρίστης πολιτείας*, non *περὶ τῆς ἀριστοκρατίας* scriptum esse contra dixerit; is secum reputet, optimam libri VII. rempublicam non esse regnum sed optimatium statum, eum tamen ex quo regnum possit existere. Woltmannius vero illis verbis significari opinatus est libri III. caput XII., Goettlingius capita VII. et VIII.; utroque autem loco neque de necessariis civitatis partibus disseruit Aristoteles neque *περὶ τῆς ἀριστοκρατίας*, sed de altera et tertia quaestione (cf. §. 39. 40.).

Cum hoc loco copulandus est alius, qui solus quidem non magnam habet argumentandi vim, coniunctus tamen cum hoc sane aliquid valet. Est autem hic: Pol. IV. 7. *Ἀριστοκρατίαν μὲν οὖν καλῶς ἔχει καλεῖν περὶ ἧς διήλθομεν ἐν τοῖς πρώτοις λόγοις* (i. e. in libro III. et VII.), *τὴν γὰρ ἐκ τῶν ἀρίστων ἁπλῶς κατ' ἀρετὴν πολιτείαν καὶ μὴ πρὸς ὑπόθεσίν τινα ἀγαθῶν ἀνδρῶν μόνην δίκαιον προσαγορεύειν ἀριστροκρατίαν* (cf. Pol. IV. 1. quae de optima republica dixit et de civitate *ἐξ ὑποθέσεως*)

XV. Locum tertium, qui ad librum VII. referendus est, recte adscripsit Barth. Hilarius (Pol. IV. 4.): *τὸν αὐτὸν δὲ τρόπον καὶ τῶν εἰρημένων πολιτειῶν· καὶ γὰρ αἱ πόλεις οὐκ ἐξ ἑνὸς ἀλλ' ἐκ πολλῶν σύγκεινται μερῶν, ὥσπερ εἴρηται πολλάκις.* Aristoteles deinde civitatis partes dinumerat eadem fere ratione, quam secutus est Pol. VII. 8.. Goettlingius et Woltmannius hunc locum ad librum III. referendum esse censuerunt. At vero reipublicae partes quarum Pol. IV. 3 et 4. mentio est et eae de quibus in libro III. quaestio est plane aliae sunt et inter se diversae. Verbo *πολλάκις* autem philosophus utitur, quod de eadem re et Pol. VII. 3. dixit et IV. 3.

XVI. Ac de eis libri IV. locis, qui de rebus quae in

libro VII. leguntur antea dictum esse declarant, satis ut arbitror exposuimus[1]. Iam vero si animum advertere volueris, in libris IV. V. VI. nonnullis locis res iam ante (in libro VII.) tractatas commemorari senties. Quodcunque offendo exemplum, apponam. Pol. IV. 11. philosophus de optimae reipublicae educatione loquitur, quasi ex libris VII. et VIII. lectores quae et qualis sit cognitum habeant.

Neque vero id nullius est momenti, quod trium librorum ne ullo quidem loco quidquam distulit in libros VII. et VIII. Hoc quidem argumentum quamvis sit quod vocant negativum, aliquam tamen habet probandi vim. Quod certe non negabit, qui quoties apud Aristotelem reperiantur huiusmodi verba: *ὕστερον ἐροῦμεν*, recordatus erit.

XVII. Sed pergamus ad libros VII. et VIII. Iam de eis locis, qui in III. 18. indicati tractantur libris VII. et VIII., satis dictum est. Quare totam rem paucis absolvamus. Primum igitur ab Aristotelis more dici vix potest quantum

---

1) Barth. S. Hilarius et eum qui secuti sunt duobus libri IV. locis aliis Aristotelem ad libros VII. et VIII. respexisse arbitrati sunt. Unus est in Pol. IV. 11. Quo quidem capite explanatur, quinam sit status plerisque conveniens civitatibus (*τίς ἀρίστη πολιτεία ταῖς πλείσταις πόλεσιν*). In eius fine leguntur haec: *Τίς μὲν οὖν ἀρίστη πολιτεία, καὶ διὰ τίν' αἰτίαν, ἐκ τούτων φανερόν· τῶν δὲ ἄλλων πολιτειῶν, ἐπειδὴ πλείους δημοκρατίας καὶ πλείους ὀλιγαρχίας φαμὲν εἶναι, ποίαν πρώτην θετέον καὶ δευτέραν καὶ τοῦτον δὴ τὸν τρόπον ἐχομένην τῷ τὴν μὲν εἶναι βελτίω, τὴν δὲ χείρω, διωρισμένης τῆς ἀρίστης οὐ χαλεπὸν ἰδεῖν.* Quibus verbis quum disputatio concludatur, quae fuerit de *ἀρίστῃ πολιτείᾳ ταῖς πλείσταις πόλεσιν*: voces *ἀρίστη πολιτεία* et *διωρισμένης τῆς ἀρίστης* intelligenda sunt non de optima republica simpliciter sed de ea quae *plerisque* est optima. — Alter est in Pol. IV. 13. *πρὸς δὲ τούτοις τίς ἀρίστη τῶν πολιτειῶν ὡς ἐπὶ τὸ πλεῖστον εἰπεῖν καὶ τῶν ἄλλων ποία ποίοις ἁρμόττει τῶν πολιτειῶν, εἴρηται.* Verba *ἀρίστη πολιτεία* non accipienda esse de optima civitate *ὡς ἁπλῶς εἰπεῖν*, Aristoteles significavit verbis *ὡς ἐπὶ τὸ πλεῖστον εἰπεῖν*. Quare locum utrumque non esse ad libros VII. et VIII. referendum, contra Hilarium recte defendit Woltmannius.

abhorreat, quod liber VII. cum VI. (vel cum V. potius) omnino non sit coniunctus. Lectoribus enim ne quid praeter exspectationem veniat, Aristoteles quid scripturus sit indicare solet. Hoc autem loco si perlegeris libros IV. V. VI., ita offendes septimum, ut res e coelo lapsa tam inexspectata venire non possit. At vero si libro III. continuantur VII. et VIII., quam apte, quam praeclare VIII. et IV. inter se coniunguntur illo quidem prooemio, quod est in quarti initio.

XVIII. Praeterea Aristoteles ubicunque in libro VII. de rebus disputat, quas easdem in libris IV. V. VI. profert, ita disserere mihi videtur, quasi eas primum attingat. Mirum id quoque est, quod in Pol. VII. 8. lectores delegare praetermisit ad IV. 3. et 4. et ad VI. 4.; in Pol. VII. 14. ad V. 1; aliis locis septimi ad alios quarti, quinti, sexti. De uno loco (VII. 4.) postea dicturi sumus.

Libro igitur III. continuandos esse VII. et VIII. indicant Ethica, significat Politicorum liber II., edicit libri III. pars et prior et posterior, clamat eiusdem libri finis; ut suum in locum restituantur libri VII. et VIII. quam maxime postulant ipsi et quartus, quintus, sextus.

At vero quod tot tantisque munitum videmus argumentis, id paucis quidem verbis labefactari vel omnino everti opinati ei sunt, qui contra dixerunt. Iactant enim quasi quoddam firmamentum, quod superare nulla possit argumentorum vis aut copia, verba haec (Pol. VII. 4.): *Ἐπεὶ δὲ πεφροιμίασται τὰ νῦν εἰρημένα περὶ αὐτῶν καὶ περὶ τὰς ἄλλας πολιτείας ἡμῖν τεθεώρηται πρότερον, ἀρχὴ τῶν λοιπῶν εἰπεῖν πρῶτον ποίας τινὰς δεῖ τὰς ὑποθέσεις εἶναι περὶ τῆς μελλούσης κατ' εὐχὴν συνεστάναι πόλεως.* Difficultates quae inde oriuntur omnes removeri existimavit Conringius, si ad librum III. *καὶ περὶ τὰς ἄλλας . . . . πρότερον* verba referrentur. Sed id fieri nequit. Maximae autem difficultates exstabunt, quocunque verba illa quidem pertinere dixeris. Disseruit enim Aristoteles de optima vita, eamque disputationem finivit ita: *ὅτι μὲν*

οὖν τὸν αὐτὸν βίον ἀναγκαῖον εἶναι τὸν ἄριστον ἑκάστῳ τε τῶν ἀνθρώπων καὶ κοινῇ ταῖς πόλεσι καὶ τοῖς ἀνθρώποις φανερόν ἐστιν. Dein sequuntur ea verba, quae supra adscripsi. Quo referendum est illud *αὐτῶν*? Si verba, quae sequuntur *καὶ περὶ τὰς ἄλλας πολιτείας* spectaveris, pronomen *αὐτῶν* intelligendum esse iudicabis de *πολιτείαις*; sic: *Ἐπεὶ δὲ πεφροιμίασται τὰ νῦν εἰρημένα περὶ (αὐτῶν) τῶν πολιτειῶν καὶ περὶ τὰς ἄλλας πολιτείας ἡμῖν τεθεώρηται πρότερον.* Et profecto sententia nisi ita suppletur, stare nullo modo potest. Cui enim *αἱ ἄλλαι πολιτεῖαι* opponantur praeter *αὐτῶν* nusquam quidquam aliud reperio. Nam optima respublica, cui soli *αἱ ἄλλαι πολιτεῖαι* sana sententia oppositae esse possunt, neque commemorata ante est neque plurali numero (*αὐτῶν*) effertur. Sed illud quamvis ita est, de rebuspublicis (*πολιτείαις*) tamen pronomen *αὐτῶν* accipi non potest. Neque enim de *πολιτείαις* prooemiatus est sed de optabili vita. Quare neque ad *πόλεις* neque ad *ἀνθρώπους*, quae sunt verba superioris enuntiati, *αὐτῶν* referri ullo modo potest. Haec de voculis *περὶ αὐτῶν*. Sequuntur *καὶ περὶ τὰς ἄλλας πολιτείας ἡμῖν τεθεώρηται πρότερον.* Quae verba cur in hanc sententiam inserta sint, tantum abest, ut idonea inveniatur ratio, ut sententiam omnino perturbent penitusque depravent[1]). Quare *καὶ περὶ .... πρότερον* verba interposita esse cum Hilario et Spengelio putaverim. Reliqua autem ita scribenda esse videntur: *Ἐπεὶ δὲ πεφροιμίασται τὰ νῦν εἰρημένα περὶ τούτων, ἀρχὴ τῶν λοιπῶν*[2]) *εἰπεῖν κ. τ. λ.* Libris enim VII. et VIII. de suo loco demotis, ut illud *λοιπῶν* explicaretur, ad marginem adiecta sunt haec: *περὶ τὰς ἄλλας πολιτείας*

---

1) Cf. Spengel. Ueber die Pol. des Arist. p. 26.

2) Verba *τῶν λοιπῶν* item interposita esse dixit Spengelius (l. c. ann. 28.); mea quidem sententia, non recte cf. Pol. I. 13. *Ὥστ' ἐπεὶ περὶ μὲν τούτων διώρισται, περὶ δὲ τῶν λοιπῶν ἐν ἄλλοις λεκτέον, κτλ.*

τεθεώρηται πρότερον, quae postea in scriptoris verba recepta sunt[1]).

Quoniam ante explicatum est, per quos optima respublica regenda sit, libris VII. et VIII. suo loco repositis, sequitur ut dicatur,

II.

Optima civitas quomodo et natura gignatur et constituatur[2]).

§. 44.

Qui optimam rempublicam gubernant, ad bene beateque vivendum omnia referre debent. Quod quum facere nemo possit, nisi quae et qualis sit vita beata perspectum habeat: primum disserendum est de vita beata. Qua quidem non cognita, ignoramus etiam optimam rempublicam eiusque gubernationem.

§. 45.

De vita beata (*αἱρετωτάτη ζωή.*).

Quaestio *de optima vita quum privata singulorum hominum tum publica totius civitatis* quum in Ethicis uberius instituta sit, hoc loco paucis absolvitur. Vita igitur privata et publica in honeste agendo (*καλὰ πράττειν*) est posita. Honeste autem agere et iuste, fortiter, prudenter, continenter agere idem est. Est enim vivere secundum virtutem, quae sit bonis externis ita instructa, ut possint honestae effici actiones. (*μετὰ ἀρετῆς κεχορηγημένης ἐπὶ τοσοῦτον ὥστε μετέχειν τῶν κατ' ἀρετὴν πράξεων*) (Pol. VII. 1.)

Unius autem hominis vita optabilis et totius reipublicae

---

1) Eum quidem locum, qui est in Pol. VII. 9. *Καθάπερ γὰρ εἴπομεν, ἐνδέχεται καὶ πάντας κοινωνεῖν πάντων, καὶ μὴ πάντας πάντων ἀλλὰ τινὰς τινῶν*, non ad IV. 15. sed ad II. 1. pertinere, contra Goettlingium iam commemoravimus §. 36.

2) *ἡ πολιτεία ἡ ἀρίστη τίνα πέφυκε γίνεσθαι τρόπον καὶ καθίστασθαι πῶς*, Pol. III. 18.

quum eadem sit, beatitudinem etiam totius civitatis et singuli hominis eandem esse necesse est.

His quidem expositis, philosophus tamen ad propositum accedere nondum potest. Magna enim persolvenda quaestio est: utrum vita praestantior et optabilior sit publica an privata (*πότερος αἱρετώτερος βίος ὁ διὰ τοῦ συμπολιτεύεσθαι καὶ κοινωνεῖν πόλεως ἢ μᾶλλον ὁ ξενικὸς καὶ τῆς πολιτικῆς κοινωνίας ἀπολελυμένος*). Est autem de hac re copiosa disputatio, qua quidem nihil apud ullum scriptorem subtilius, nihil praeclarius (Pol. VII. 2. 3. 4.).

A.

Optima respublica quomodo naturâ gignatur
(*ἡ πολιτεία ἡ ἀρίστη τίνα πέφυκε γίνεσθαι τρόπον* Pol. III. 18.)
v. de eius conditionibus (*ὑποθέσεσι, χορηγίᾳ*).

§. 46.

Sine rebus necessariis (*χορηγίᾳ*) virtutem colere nec singuli homines possunt nec tota civitas. Optima autem respublica gerenda et gubernanda est secundum virtutem. Quare prius de rebus necessariis s. de conditionibus (*ὑποθέσεσι*) dicendum est, quas naturâ suppeditari oportet optimae civitati, quam ei quid legislator impertire debeat, quaeri possit. Omnes igitur res naturales describit, ac si optio data sit; ita tamen, ut nihil sit *ἀδύνατον*. Continentur autem eae quattuor potissimum locis et quasi sedibus:

I. et II. hominum coetus quantus ad optimam rempublicam constituendam necessarius sit et qualis;

III. et IV. qualis et quanta necessaria sit terra, quae ab optimae reipublicae civibus incolatur.

Primum igitur civium numerus talibus finibus circumscribitur, ut optimae civitati quinam sit iustus definiatur, quinam nimius, quinam iusto minor. Deinde de terrae ac regionis disserit magnitudine, natura, opportunitate; post capite VI. de optimi oppidi situ ad mare, de portubus, co-

piis navalibus. Denique ad quaestionem de hominibus reversus, quales optentur et requirantur adumbrat. Ad optimam igitur rempublicam esse vel maxime idoneam Graecorum gentem, quae et iracunda sit et mente praedita. Europae enim incolas irae quidem esse plenos, mentis autem expertes. Qui in Asia habitent, eos esse mentis participes, irae non item (Pol. VII. 4—7.).

Eis rebus expositis, quarum effectrix fortuna et natura est, deinceps dicendum est, quid praestare legislator debeat, ut respublica evadat optima.

B.

Optima respublica quomodo a legislatore constituatur

(*ἡ πολιτεία ἡ ἀρίστη (τίνα πέφυκε γίνεσθαι τρόπον) καὶ καθίστασθαι πῶς.* Pol. III, 18.).

§. 47.

De civitatis descriptione.

Quaestionem de constituenda optima civitate ita partitur, ut civium vel civitatis descriptionem prius proponat, deinde urbis. Civitatem igitur qui describere et constituere vult, ei quaenam eius sint partes primum sciendum est. Neque enim omnes, quibus civilis communitas carere quidem non potest, ideo eius socii (*κοινωνοί*) habendi sunt. Quisquis igitur optimae civitatis finem (vitam beatam secundum virtutem) consequi potest, civitatis is particeps est: qui non potest, quamvis ut eum ad finem alii perveniant necessarius sit tanquam instrumentum (*τὸ τούτου ἕνεκεν*), tamen reipublicae pars non est. Iam ut perspiciatur, ex hominum generibus quaenam in civitatis partibus reponenda sint, in universum quaeritur, quae genera et quot reipublicae sint omnino necessaria. Quod quidem cognoscitur ex variis operibus. Sunt igitur agricolae, artifices, milites, divites, sacerdotes, iuris disceptatores (*κριταὶ τῶν ἀναγκαίων*) senatores (*κριταὶ τῶν συμφερόντων, βουλευτικοί*). Ex quibus omnibus quinam in civium numerum recipiendi sunt? et

quae eorum opera unum in hominem conferri possunt? Quum optimae reipublicae civibus consentaneum sit bene beateque vivere secundum virtutem: omnes necesse est civitate arceantur, quorum sit vita ignobilis virtutique contraria. Atqui ita comparata vita artificum est et agricolarum. Neque vero fieri potest, ut qui iuvenes vitam agrestem degerunt, aetate procedentes cives existant perfecti. Perfecta enim virtus requirit otium et exercitationem. Milites vero, iuris disceptatores et senatores, qui inprimis sint reipublicae participes, eosdem esse Aristoteli placet, neque tamen omnes aetate eosdem. Neque enim qui arma tenent semper parere volunt; est autem in eorum potestate civitas. Quare qui virili aetate milites fuerunt, armis depositis, iudices constituendi sunt et senatores. Eidemque agros possideant oportet omnesque copias. Nam agricolae atque artifices, quum consilii sint, iudicii armorumque expertes, necessarie aut servi sunt aut barbari aut περίοικοι. Sacerdotes denique ex eis deligendi sunt, qui munere reipublicae administrandae se abdicarunt. Ergo artifices, agricolae, θῆτες necessarii quidem reipublicae; nec tamen eius partes. In partibus igitur ei soli numerandi, qui rempublicam gerunt, iuris disceptatores, milites, senatores. Iam vero eius quod in II. 5. dedit praecepti non immemor, testimoniis ex historia petitis illam quidem militum severam ab agricolis separationem non a se esse inventam comprobat.

Postquam ei sine quibus civitas neque nasci neque esse unquam potest, suo quisque loco dispositi sunt, restat ut de agris distribuendis dicatur et de agricolis. Possessionem igitur agrosque esse et haberi vult privata. Sed usus ea reddat publica. Συσσίτια item publica esse vult, ut ea quae ad deorum cultum conferuntur. Quare agrum totum partitur primum in publicum et privatum; publicum dein in partes duas, ut ex altera parte sumatur, quod ad συσσίτια, ex altera, quod ad cultum divinum necessarium sit. Agrum autem privatum ita distribuit, ut civium cuique

alter fundus situs sit prope urbem, alter haud procul a civitatis finibus. Denique breviter dicit de agricolis (Pol. VII. 8. 9. 10.)

§. 48.

De descriptione urbis.

Postquam de civitatis situ maxime optabili pauca praeposuit, disserit de locis munitis, de domorum exaedificatione et continuatione, de moenibus. Deinde describit, quomodo instituendis συσσιτίοις aedificia commodissime construantur, quî ordinanda sint fora, gymnasia, praetorium. Ceterum eiusmodi res quum ad disponendum non difficiles sint, latius explicandae non sunt.

His quidem ita explanatis, quod sibi proposuerat Aristoteles edocuit, quomodo *natura ferat*, ut optima respublica existat et *a legislatore* quibus legibus *constituatur* (καθίστασθαι). Iam transgreditur ad id, quod in III. 18. significavit (cf. §. 53. VIII. IX.), *rempublicam optimam eadem componi* (συνίστασθαι) *ratione, qua vir evadat bonus* (σπουδαῖος).

III.

Optima respublica qua ratione ex singulis civibus bonis (σπουδαίοις) componatur.

sive singuli cives qua ratione boni (σπουδαῖοι) reddantur.

§. 49.

Ex quibus civibus et ex qualibus optima respublica componenda sit, dicturus, primum commemorat duas esse res, quarum sit habenda ratio. Unam, ut finis proponatur verus et iustus; alteram, ut exploretur, quibus homines finem consequi possint actionibus. Optimae igitur reipublicae, in qua vitam cives degant beatam vel maxime, propositam esse ait beatitudinem. Haec ipsa autem cernitur in ἐνεργείᾳ virtutisque usu perfecto simpliciter[1]). Virtutis quidem χορη-

---

1) Per mihi mirum visum est, quod h. l. et in cap. IX. Aristoteles εὐδαιμονίαν eisdem verbis definivit, quibus usus est scriptor Mor.

γία quae civitati necessaria est proficiscitur a fortuna secunda: virtus vero ipsa perfici non fortuna potest, sed sola scientia ac voluntate. Iam autem quum ea civitas virtute praedita sit, in qua singuli eam cives colant: videndum est, quibus rebus singuli reddantur σπουδαῖοι. Fiunt autem homines boni, ut iam in Ethicis dictum est, natura, consuetudine, disciplina (λόγῳ). Quales cives natura esse oporteat, supra satis explicatum est. Consuetudo autem et disciplina ad bonitatem vel maxime valent, quum cives educentur et discant, tum assuescendo, tum audiendo (Pol.VII.13.).

§. 50.

Quemadmodum cives educandi sint, ut σπουδαῖοι evadant.

De consuescendis erudiendisque civibus rite disputari non poterit, nisi fuerit disceptatum prius, utrum qui imperent et qui pareant eodem modo educandi sint, an alio. Qua quidem quaestione instituta, de educatione disputaturus primum quis sit optimae vitae finis docet. Quum igitur ultimum sit et extremum id, ad quod alia referuntur; vita autem discedat in otium et negotium, in bellum et pacem; πρακτὰ vero partim sint necessaria et utilia, partim honesta: finis sunt otium, pax, honesta; ad ea enim alia referenda sunt omnia. Quare vituperandae civitates, quarum instituta, leges totusque status ad bellum spectant et ad dominatum in alios populos. Inde etiam manifestum est, quibus potissimum virtutibus optimae reipublicae cives praediti esse debeant. Nam quum vita otiosa militari praestet, iustitiae et temperantiae studendum est, quae domi, in otio omniumque rerum abundantia magis necessariae sunt, quam militiae. Nec tamen negligenda est fortitudo.

Magn. I. 4. ἐνέργεια καὶ χρῆσις ἀρετῆς τελεία; quum eam in Eth. Nic. I. 6. hoc modo constituerit: ψυχῆς ἐνέργεια κατ' ἀρετήν, εἰ δὲ πλείους αἱ ἀρεταί, κατὰ τὴν ἀρίστην καὶ τελειοτάτην. In Eth. Eud. II. 1. haec est eius definitio: ψυχῆς ἀγαθῆς ἐνέργεια.

Quam nisi cives colunt, in servitutem redigantur necesse est. In otio autem qui vivunt etiam in philosophia operam ponent. Sed qua ratione fiat, ut illis virtutibus cives omnes excellant, iam videndum est. Quum igitur necessaria sit natura, consuetodo, disciplina; de natura autem supra satis sit expositum: de consuetudine et disciplina reliquum est ut dicatur. Primum autem quaerendum est,

§. 51.

Utrum disciplina prius, an consuetudine liberi educandi sint.

Corpus prius gignitur quam animus, animi pars quae habet cupiditates rationisque est expers prius, quam altera quae rationis est particeps. Quare perspicuum est, corpori priorem adhibendam esse curationem animi gratia, deinde *ἀλόγῳ* animi parti mentis gratia (Pol. VII. 15.).

Quum autem a principio legislatori curandum sit, ut quam optima sint corpora, capite XVI. philosophus explanat, et qua aetate in matrimonium eundum sit et qualibus, quum maribus, tum feminis. Denique praecepta dare non omisit mulieribus praegnantibus de aptissima vivendi ratione.

§. 52.

De educandis infantibus usque ad aetatis annum V. et inde a V. usque ad VII.

Infantes iam a prima aetate assuefaciendi sunt quasdam ad res iniucundas; id enim ad sanitatem confert et ad fortitudinem. Cavendum est autem vel diligentissime, ne pueri, qui usque ad annum VII. domi nutriuntur, ex servis inhonestum quid et turpe audiant aut videant. A quinto autem aetatis anno usque ad VII. iam aptis quibusdam doctrinis imbuendi sunt. Quibus ita expositis, Aristoteles viam munit ad librum VIII., qui est de educatione adulescentium ab anno VII. usque ad pubertatem et inde a pubertate usque ad annum XXI.

§. 53.

De libri VII. integritate.

Censuit Conringius quaestionem de educatione ab anno V. usque ad VII. esse mutilam. Quod ei concedendum esse non puto. Omnia enim praecepta de privata educatione usque ad annum V. referenda etiam sunt ad educationem per istud biennium (Pol. VII. 17. *Ταύτην γὰρ τὴν ἡλικίαν καὶ μέχρι τῶν ἑπτὰ ἐτῶν ἀναγκαῖον οἴκοι τὴν τροφὴν ἔχειν*). Id tantum inter utramque aetatem interest, quod liberi sex vel septem annos nati aliquid docendi sunt, natu minores nondum. Id ipsum autem explicatum brevibus quidem est verbis, sed integris: *Διελθόντων δὲ τῶν πέντε ἐτῶν τὰ δύο μέχρι τῶν ἑπτὰ δεῖ θεωροὺς ἤδη γίγνεσθαι τῶν μαθήσεων, ἃς δεήσει μανθάνειν αὐτούς.*

Huius libri ordinem et dispositionem inter omnes constat verum esse et rectum.

§. 54.

De educandis adulescentibus ab aetatis anno VII. usque ad pubertatem, et a pubertate usque ad annum XXI.

In libri VII. fine Aristoteles tres proposuit quaestiones; primam, numquid in optima republica instituendum sit de infantium educatione; alteram, praestetne publica educatio privatae; tertiam, qualem educationem esse oporteat. Primum igitur dubium non est, quin legislator nihil antiquius habere debeat, quam ut pueri recte educentur. Educatio enim necesse est consentanea sit cuique reipublicae formae. Praeterea ut qui artes factitare volunt ad eas informandi sunt, ita etiam ad actiones honestas exercendi pueri et instituendi sunt.

Iam vero quum unus idemque sit civitatis finis, consequens est, ut omnium una sit communis educatio publica. Haec de duabus quaestionibus (Pol. VIII. 1.).

Sequitur quaestio tertia de educandi ratione. Quae quidem res magnam habet dubitationem. Est enim in incerto, quae discenda sint opera et efficienda, utrum virtutis

militaris in educatione, an vitae optimae ratio habenda sit, magisne mentis, an eius animi partis in qua sunt virtutes morales. Neque ex eo quod communis est educatio quidquam certi effici potest.

Primum igitur utilibus ex operibus disci ea vult, quae sint necessaria, nec tamen ea omnia, nec perfecte, sed ita ut ne corpora depraventur, neve animi ad virtutem fiant inhabiles. Neque enim liberum hominem illiberalibus [1]) quibusdam artibus imbui dedecet, sed imbui tantum. Multum vero his in operibus valet, cur quid fiat et qua de causa. Adulescentibus autem traduntur grammatice, graphice, gymnastice, musica. Plerique musicae se dedunt voluptatis causa; eam autem qui principes instituerunt discendam curarunt, quod natura ipsa requiritur, ut cives habeant quo utantur in otio. Hac igitur arte liberi instruuntur, non quod sit necessaria aut utilis, sed quia liberalis est et honesta. Iam ad ordinem, quem in eruditione tenendum esse dixit, respiciens adulescentes primum *γυμναστῇ* tradi iubet, ut exercitent corpora, et *παιδοτρίβῃ*, ut ad opera instituantur (Pol. VIII. 2. 3.).

Adhibendae sunt autem exercitationes leves, ne corpora hominesve immanes evadant. Aliis vero doctrinis inde a pubertate per tres annos imbuti et graviorem cibum sumere possunt laboresque suscipere maiores (Pol. VIII. 4.). Iam ad quaestionem

§. 55.

De musica (Pol. VII. 5–7.)

Revertitur, ut eius quasi *ἐνδόσιμον* faciat. Neque enim musica quam habeat vim et efficaciam, facile perpendi potest, neque quam ob causam ei sit opera tribuenda constat, utrum ludi animique relaxandi, an virtutum moralium, an optimae in otio vitae causa. Sed quamcunque

1) Sic enim legendum esse videtur (in Pol. VIII. 2.): *Ἔστι δὲ καὶ τῶν ἀνελευθέρων ἐπιστημῶν μέχρι μέν τινος (ἐνίων) μετέχειν οὐκ ἀνελεύθερον.*

ob rem musica est laudanda, cur tandem iuvenes in ea ipsi tempus consumant? Iam igitur eam usui esse dicit et in ludo et in διαγωγῇ. Quae quum etiam ad ἦθος animi conformandum valeat, ad educationem adhibenda est. Iam autem capite VI. canendum esse ait iuvenibus ipsis tractandamque artem musicam, quia id nisi fecerint, ex audiendo fructum percepturi sint nullum. Pueri tamen ne βάναυσοι reddantur, definit, quatenus sit musica tradenda, quaeque instrumenta adhibenda.

Denique quaerit, ad erudiendos adulescentes quaenam apta sint harmoniae, modi, carmina. Postremo duas, quas in Politia proposuit Plato, sententias improbat. Primum enim ille doricam et phrygiam harmoniam cani iubet, tibiam autem adhiberi vetat. Quod quidem vituperandum est, quia tibia idem valet idemque efficit, quod harmonia phrygia. Deinde quod remissas (ἀνειμένας) Plato reiecerit harmonias, reprehendit. Quum autem iam supra dixerit, in educandis adulescentibus spectandum esse et quid fieri possit (δυνατόν) et quid deceat (πρέπον), totam disputationem his concludit verbis: Ἔτι δ' εἴ τίς ἐστι τοιαύτη τῶν ἁρμονιῶν ἣ πρέπει τῇ τῶν παίδων ἡλικίᾳ διὰ τὸ δύνασθαι κόσμον τ' ἔχειν ἅμα καὶ παιδείαν, οἷον ἡ λυδιστὶ φαίνεται πεπονθέναι μάλιστα τῶν ἁρμονιῶν, δῆλον ὅτι τούτους ὅρους τρεῖς ποιητέον εἰς τὴν παιδείαν, τό τε μέσον καὶ τὸ δυνατὸν καὶ τὸ πρέπον.

§. 56.

De librorum VII. et VIII. integritate.

De librorum VII. et VIII. integritate dicturus non eorum, qui verba quaedam aut enuntiata, sed qui multas et magnas partes disputationi de optima republica deesse putarunt, sententias examinabo et quinam loci desint qui non, efficere conabor.

I. Prius autem quam ad totos libros accedamus, de ultima quae de musica est eorum parte quaeremus, quo disputatio de toto sit expeditior. Illam igitur Conringius

pro manca et mutila habuit, his quidem rationibus ductus. Primum (in introd. VI. §. 30.) »Aristotelem« ait „pollicitum se dicturum de rhythmo dumtaxat dicere nihil.« Sed Conringius significationem vocis ῥυθμὸς non assecutus, desideravit praeter eam quae est περὶ τῶν μελῶν (Pol. VIII. 7.) disputationem alteram περὶ τῶν ῥυθμῶν; non recte. — Iam vero de libri fine annotat: „Sed et alias facile liquet, ipsam doctrinam de usu musices non absolvi sueto Aristotelis more.“ Quod equidem libenter concesserim, sive „absolvendi“ verbum intelligi vult de „concludendo“ sive de „pertractando“. Nam haec disputatio si ita concluderetur, ut res tractatae enumerarentur (id quod fieri solet, ut intelligatur, quid dictum sit, quid restet ut dicatur): eiusmodi clausula ineptius et minus elegans nihil esse posset. Neque vero locus de musica Aristoteleo more pertractatur. Neque enim tota res absolvitur aut omni ex parte consideratur. At ne talem quidem disputationem Aristoteles scribere constituit. Neque enim λόγους prolaturus est, sed facturus id quod musici vocant ἐνδόσιμον, (VIII. 5. ἵνα ὥσπερ ἐνδόσιμον γένηται τοῖς λόγοις, οὓς ἄν τις εἴπειεν ἀποφαινόμενος περὶ αὐτῆς. — Denique Conringius arbitratur verba extrema indicare rem non esse ad finem perductam. Sed ne hoc quidem ei assentiri possum. Laudat enim Aristoteles τὸ μέσον, τὸ δυνατόν, τὸ πρέπον. Dein Platonis dissolvit sententiam de harmoniis remissis. Tum addit haec: Ὥστε καὶ πρὸς τὴν ἐσομένην ἡλικίαν τὴν τῶν πρεσβυτέρων δεῖ καὶ τῶν τοιούτων ἁρμονιῶν ἅπτεσθαι καὶ τῶν μελῶν τῶν τοιούτων. Ἔτι δ' εἴ τίς ἐστι τοιαύτη τῶν ἁρμονιῶν ἣ πρέπει τῇ τῶν παίδων ἡλικίᾳ . . . . . δῆλον ὅτι τούτους ὅρους τρεῖς ποιητέον εἰς τὴν παιδείαν τό τε μέσον καὶ τὸ δυνατὸν καὶ τὸ πρέπον. Quibus verbis quaestio de optima republica et de puerorum educatione mea quidem sententia apte concluditur. Huc accedit, quod Aristoteles disputationem, cuius exordium a Platonis Politia sumpsit (Pol. II. 1—6.). examinandis eiusdem Platonis sententiis non fortuito finire videtur. Quum igitur rationes a

Conringio prolatae futiles sint, non possum, quin in ea sententia permaneam, ut locum de musica prorsus integrum esse putem eumque in eius partis fine, quae est de optima republica, esse collocatum.

II. Sed quoniam de librorum integritate dicendum sit, in fine alii deesse putarunt magnam partem, alii libros duos, Conringius quattuor. Sed examinemus rationes, quas conscriptas reperies apud Conringium in introd. VI. §. 30.

Primum igitur argumentum hoc est: „Instituit enim Aristoteles omnem optime rempublicam administrandi rationem accurate docere; et tamen huius doctrinae vix primordia hodie superant." At vero Aristoteli propositum est (III. 18.) docere et explanare, optima respublica quomodo generetur (cf §. 46.), qua ratione constituatur (§. §. 47. 48.), quibus ex civibus componatur (§. §. 49. sqq.). Quomodo administraretur civitas optima dicere quod sciam nusquam sibi proposuit. Ubique enim se quaesiturum promittit, quaenam s i t optima respublica. Veluti

Eth. Nic. X. 10. *θεωρηθέντων γὰρ τούτων τάχ' ἂν μᾶλλον συνίδοιμεν καὶ π ο ί α πολιτεία ἀρίστη.*

Pol. VII. 2. *ἔτι δὲ τ ί ν α π ο λ ι τ ε ί α ν θ ε τ έ ο ν κ α ὶ π ο ί α ν δ ι ά θ ε σ ι ν π ό λ ε ω ς ἀ ρ ί σ τ η ν.*

Pol. IV. 1. *Ὥστε δῆλον ὅτι καὶ πολιτείαν τῆς αὐτῆς ἐστὶν ἐπιστήμης τὴν ἀρίστην θεωρῆσαι τ ί ς ἐ σ τ ι καί ποία τις ἂν οὖσα μάλιστ' εἴη κατ' εὐχήν, μηδενὸς ἐμποδίζοντος τῶν ἐκτός.* In eodem capite:

Οὐ γὰρ μόνον τ ὴ ν ἀ ρ ί σ τ η ν δ ε ῖ θ ε ω ρ ε ῖ ν ἀλλὰ κτλ. Νῦν δ'οἱ μὲν τὴν ἀκροτάτην καὶ δεομένην πολλῆς χορηγίας ζητοῦσι μόνον, οἱ δὲ κτλ. [1]).

---

1) Apud Spengelium leguntur haec (Ueber die Pol. des Arist. ann. 11.). „Der erstere Theil (quae pars in fortuna posita est) ist ganz erhalten; von dem zweiten und wichtigsten, der ganz Sache des Gesetzgebers ist, der *πολιτεία αὐτή* ist wohl der grössere Theil verloren; wir haben noch davon die schöne Grundlegung Kap. 12—15." etc. Sed agricolas, artifices, *θῆτες* a republica excludere

III. Alterum Conringii argumentum est: „Nihil enim agitur de administratione civitatis optimae, nihil de eius magistratibus, nihil de iudiciis, nihil de consiliis, nihil de ipsius aut mutationibus aut conservatione.“ De optimae reipublicae administratione paulo ante dictum est. De magistratibus autem, de iudiciis, concilio civitatis optimae non aliter exposuit, quam de ceteris rerumpublicarum generibus. Etenim in libri IV. fine quaerit, et qui creandi sint iuris disceptatores magistratusque, et ex quibus constet concilium, et illi ex quibus et a quibus deligantur etc. Quae quidem quaestiones de optima republica per se patent, quum definitum sit, quinam magistratus iudicesque constituendi sint. Iam vero Conringius quod disputationem de conversionibus aut conservatione optimae civitatis exspectat, mirum in modum falsus est. Neque enim ex Aristotelis sententia optima respublica unquam deleri aut extingui potest, nisi externa vi vel impetu, vel ne ita quidem. Respublica enim si commutatur aut interit, optima esse nullo modo potest. Cf. Pol. VII. 14. *Καίτοι δῆλον ὡς ἐπειδὴ νῦν γε οὐκέτι ὑπάρχει τοῖς Λάκωσι τὸ ἄρχειν, οὐκ εὐδαίμονες, οὐδ' ὁ νομοθέτης ἀγαθός. Ἔτι δὲ τοῦτο γελοῖον, εἰ μένοντες ἐν τοῖς νόμοις αὐτοῦ καὶ μεδενὸς ἐμποδίζοντος πρὸς τὸ χρῆσθαι τοῖς νόμοις ἀποβεβλήκασι τὸ ζῆν καλῶς.*

IV. Pergamus ad argumentum tertium: „Praeterea ipsemet X. capite ultimo Ethicorum uti et Politicorum VII monet ad optimae reipublicae constitutionem requiri, ut legibus cuique aetati sua studia atque officia praescribantur. Quin ipso tacente, id postulari quilibet dixerit . . . Porro

---

totamque civitatem constituere, non fortunae est, sed legislatoris Quibus de rebus dicitur VII. 8. 9. 10. (cf. §. 8. 46. 47.). Itaque disputationem de eo quod legislatoris est magnam partem periisse negaverim. Neque assenserim his verbis: „Was sonst noch alles ausser *παιδεία* folgen musste und der Gesetzgeber zu bestimmen hatte, lässt sich im Ganzen mehr ahnen als mit Zuverlässigkeit angeben.“

de institutione iuvenum, virorum, senum plane nihil legimus. Οὐχ ἱκανὸν δ'ἴσως νέους ὄντας τροφῆς καὶ ἐπιμελείας τυχεῖν ὀρθῆς· ἀλλ' ἐπειδὴ καὶ ἀνδρωθέντας δεῖ ἐπιτηδεύειν αὐτὰ καὶ ἐθίζεσθαι, καὶ περὶ ταῦτα δεοίμεθ' ἂν νόμων (Eth. Nic X. 10.)." Primum autem quod sua cuique aetati studia in Polilicorum libris constituta esse negavit, falsus est. Adulescentes enim usque ad aetatis annum XXI. operam dare iussit corporis exercitationibus ac liberalibus artibus. Viros aetate confirmata voluit rei militari studere, natu maiores iudices esse et βουλευτικούς; senes ut sacerdotium inirent praecepit. Conringius autem quod leges de officiis institutionemque iuvenum, virorum, senum commemorat, putasse videtur in Politicis officia et leges enumeranda fuisse, quibus illi ad virtutem colendam informarentur. At vero leges de officiis eisque de rebus, quae faciendae fugiendaeve sunt, in omnibus eaedem sunt rebuspublicis. Leges autem omnibus civitatibus communes, sive ad officia et virtutes sive alias ad res pertinent, ab eis quae sibi proposuerat Aristoteles alienas esse duxit. Cf. Pol. III. 15. Τὸ μὲν οὖν περὶ τῆς τοιαύτης στρατηγίας ἐπισκοπεῖν νόμων ἔχει μᾶλλον εἶδος ἢ πολιτείας· ἐν ἁπάσαις γὰρ ἐνδέχεται γίγνεσθαι τοῦτο ταῖς πολιτείαις· ὥστ' ἀφείσθω τὴν πρώτην. cf. III. 16. Neque enim leges aliae in disceptationem veniunt, nisi quae diversis rerumpublicarum formis sunt propriae; veluti quibus statuitur, quot et quales reipublicae praesint, per quos magistratus et ex quibus, deligantur. Leges vero quae sunt de virtutibus moralibus, quum in Politicorum libris non tetigerit, reliquisse videtur politicis s. βουλευτικοῖς, qui ex Ethicis finem τῆς πολιτικῆς cognitum haberent singularumque virtutum vim et naturam.

V. Examinemus argumentum quartum: „Nihil etiam videmus de societate coniugali, quomodo illa quam optime debeat exerceri, aut vero quomodo gerere se feminae debeant, quae alteram civitatis partem constituunt, quasque non bene constitutas Spartorum rempublicam perdidisse

ipsemet Aristoteles Lycurgo obiicit. Et tamen quum per se manifestum est de his agendum fuisse, tum promittitur haec doctrina capite ultimo libri I. Pol.“ Quibus verbis multa quidem insunt falsa, aliquid tamen veri. De coniugum societate disputatum saepius est. Uxores privatas, non communes habendas esse dixit in libro II.; neque eis bellum gerendum, neque *συσσίτια* instituenda (cf. §. 24.). De *ὁμιλίᾳ* [1]) coniugis et uxoris autem accuratissime inquisivit in libro VII. De natorum vero artissima cum parentibus coniunctione eorumque de educatione libro VII. et VIII. quaestio est. De educatione autem liberum dicere et de virtute idem est. *At de mulierum educatione vivendique ratione ne mentionem quidem esse in disputatione de optima republica*, recte quidem Conringius. Qui quidem locus utrum perierit, an sit ab Aristotele praetermissus, equidem non diiudicaverim. Quodsi autem Aristoteles de mulierum virtute et educatione quid scripserit, non dubitandum esse videtur, id quin Theophrastus in Oeconomica receperit. Nunc autem in eis de uxoribus nihil legitur, quod idem in Ethicis et Politicis non sit aut significatum aut explanatum

VI. Sequitur argumentum quintum: „Ad hoc ipsemet Pol. VII. 5. promittit, sese dicturum iterum accurate de re familiari, quanta illa oporteat esse in republica lectissima. Verum et hoc desideratur.“ Politicorum illum quidem quem citavit locum adscribam integrum. *Πλήθει δὲ καὶ μεγέθει τοσαύτην ὥστε δύνασθαι τοὺς οἰκοῦντας ζῆν σχολάζοντας ἐλευθερίως ἅμα καὶ σωφρόνως. Τοῦτον δὲ τὸν ὅρον εἰ καλῶς ἢ μὴ καλῶς λέγομεν, ὕστερον ἐπισκεπτέον ἀκριβέστερον, ὅταν ὅλως περὶ κτήσεως καὶ τῆς περὶ τὴν οὐσίαν εὐπορίας συμβαίνῃ ποιεῖσθαι μνείαν, πῶς δεῖ καὶ τίνα τρόπον ἔχειν πρὸς τὴν χρῆσιν αὐτήν* (*αὐτῆς*). Hanc igitur

1) De verbi *ὁμιλία* vi et significatione, quam non cognitam habuisse videtur Conringius, cf. Oec. I. 4. *Περὶ δὲ ὁμιλίας, μήθ' ὥστε δεῖσθαι μήθ' ὡς απόντων ἀδυνατεῖν ἡσυχάζειν, ἀλλ' οὕτως ἐθίζειν, ὥστε ἱκανῶς ἔχειν παρόντος καὶ μὴ παρόντος.*

quam promisit Aristoteles disputationem desiderari affirmavit Conringius. Goettlingius autem rem ita expedire conatus est, ut ad Oec. I. 1., quae cum Politicis coniuncta essent, locum illum referret. Sed Oeconimica primum a Theophrasto scripta esse constat. Deinde non post Politica collocanda erant sed ante Politica. Quod si fecisset, duo habuisset Oeconomica, quum I. Politicorum liber item sit de Oeconomicis. Postremo ne ea quidem quae in Oeconomicis legitur sententia cum verbis illis ullo modo convenit. Est enim haec: *Πόλις μὲν οὖν οἰκιῶν πλῆθός ἐστι καὶ χώρας καὶ χρημάτων αὔταρκες πρὸς τὸ εὖ ζῆν*, quae eadem etiam in Politicis in promptu erat. Cum Goettlingio igitur consentire haudquaquam possum; neque vero cum Conringio. Pertinent enim cap. V. verba quae supra posui ad eiusdem libri cap. XV. Quod ita esse intelliges, si illa quidem verba diligenter perpenderis: *ὅταν ὅλως περὶ κτήσεως καὶ τῆς περὶ τὴν οὐσίαν εὐπορίας συμβαίνῃ ποιεῖσθαι μνείαν, πῶς δεῖ καὶ τίνα τρόπον ἔχειν πρὸς τὴν χρῆσιν αὐτήν.* Etenim se mentionem facturum pollicetur, quomodo cives et qua ratione res familiares divitiasque adhibere debeant. Qua de re mentio est in capite XV. Haec igitur quae enumeravi Conringii argumenta non sunt probanda. Quare si nulla suppeditarent alia, libros VII. et VIII. esse integros dicerem. Neque tamen alia deficiunt, eaque gravissima, quorum unum etiam Conringius attulit.

VII. Primum enim in Pol. VII. 10. leguntur haec: *Περὶ συσσιτίων τε συνδοκεῖ πᾶσι χρήσιμον εἶναι ταῖς εὖ κατεσκευασμέναις πόλεσιν ὑπάρχειν· δι' ἣν δ' αἰτίαν συνδοκεῖ καὶ ἡμῖν, ὕστερον ἐροῦμεν.* Quibus verbis quod promisisset Aristoteles, praestitisse eum in Oeconomicis contendit Goettlingius. Qui quidem quo in capite de syssitiis quidquam legisset, non dixit. Neque enim de eis mentio quidem est in Oeconomicis. Neque vero in Politicis ullam usquam rationem attulit, cur comparari *συσσίτια* vellet.

VIII. In eodem vero capite X. quaestionem de servis in alium locum differt, qui item in Politicis desideratur: *Τίνα δὲ δεῖ τρόπον χρῆσθαι δούλοις καὶ διότι βέλτιον πᾶσι τοῖς δούλοις ἆθλον προκεῖσθαι τὴν ἐλευθερίαν, ὕστερον ἐροῦμεν.* Qua de re sane quidem disputatio est in Oeconomicis. Sed id nihil ad rem (cf. cap. VI.). Quare deesse quaestiones de syssitiis et de servis, negari non potest. Quae quo loco ab Aristotele collocata fuerint, non certis et veris rationibus effici, sed probabiliter coniici potest. Namque in priore quae est de constituenda republica parte (cf. §. 47. 48.) illae quidem quaestiones instituendae fuerunt, quum in posteriore de componenda civitate locum habere nullo modo possent. Quare eas post caput XII. ante XIII. positas esse censeo. Quo eodem loco ante disputationem de pueris educandis quaestionem de syssitiis legisse videtur auctor Eclog. Ethic. apud Stobaeum. Sunt enim eius verba haec: *χρήσιμον δὲ καὶ τὸ νομοθετεῖν συσσίτια ποιεῖσθαι καὶ τὸ περὶ τῆς κοινῆς παιδείας τῶν τέκνων σπουδάζειν.* Magna quidem huic scriptori non est tribuenda auctoritas; nec ipse tribuo, quoniam non ubique est Aristoteleum ordinem secutus. Haec de integritate libri VII.

IX. In libro autem VIII. 3. Aristoteles de musica disputationem ingressus, scripsit haec: *Ὅτι μὲν τοίνυν ἐστὶ παιδεία τις, ἣν οὐχ ὡς χρησίμην παιδευτέον τοὺς υἱεῖς οὐδ᾽ ὡς ἀναγκαίαν ἀλλ᾽ ὡς ἐλευθέριον καὶ καλήν, φανερόν ἐστιν· πότερον δὲ μία τὸν ἀριθμὸν ἢ πλείους καὶ τίνες αὗται καὶ πῶς, ὕστερον λεκτέον περὶ αὐτῶν.* Quibus se disceptaturum pollicitus est, utrum praeter musicam pueri docendi sint alias res, quae sint non necessariae aut utiles sed liberales et honestae, an non; eaeque quae sint et quomodo docendae. Quibus de rebus Aristoteles disputationem certe instituit; sed eius ne vestigium quidem exstat. Neque enim de capite VII. libri VIII. cogitari potest. Quod quum sit de harmoniis et carminibus, artissime cum quaestione de

musica coniunctum est [1]. Neque de *μαθήμασι*, quibus iuvenes a pubertate usque ad annum XXI. imbuendi sunt, quidquam aliud reperies, nisi quae sunt in capite IV. *Ὅταν δ' ἀφ' ἥβης ἔτη τρία πρὸς τοῖς ἄλλοις μαθήμασι γένωνται, τότε ἁρμόττει κτλ.* Quae quum ita sint disputationem de ceteris artibus liberalibus excidisse iudico et quidem post caput IV. libri VIII.

Hac autem in disputatione etiam praestitisse videtur id, quod promisit in Pol. VII. 17. *Νῦν μὲν οὖν τούτων* (earum rerum, quae a iuvenum auribus et oculis arcendae sunt) *ἐν παραδρομῇ πεποιήμεθα τὸν λόγον· ὕστερον δ' ἐπιστήσαντας δεῖ διορίσαι μᾶλλον, εἴτε μὴ δεῖ πρῶτον εἴτε δεῖ διαπορήσαντας καὶ πῶς δεῖ· κατὰ δὲ τὸν παρόντα καιρὸν ἐμνήσθημεν ὡς ἀναγκαῖον.* Cui quidem promisso eum satisfacere non arbitror libri VIII. capitis VII. praeceptis [2].

Quae de librorum VII. et VIII. integritate dicta sunt omnia mihi mecum reputanti id vero propius esse videtur, desiderari non duos vel quattuor libros, sed disputationes duas, aut tres. Quarum unam post VII. 12. deesse, alteram post VIII. 4. crediderim, totam autem de optima republica partem concludi quaestione de musica.

Iam vero quum ab Aristotele primum dictum sit optima respublica per quos sit regenda (I.), deinde quomodo natura gignatur et qua ratione constituatur (II.), denique quibus ex civibus componatur (III.): sequitur

---

1) Cf. Pol. VIII. 6. *Περὶ δὲ τῆς ἐπιτιμήσεως ἥν τινες ἐπιτιμῶσιν ὡς ποιούσης τῆς μουσικῆς βαναύσους, οὐ χαλεπὸν λῦσαι σκεψαμένους μέχρι τε πόσου τῶν ἔργων κοινωνητέον τοῖς πρὸς ἀρετὴν παιδευομένοις πολιτικήν, καὶ ποίων μελῶν καὶ ποίων ῥυθμῶν κοινωνητέον κ. τ. λ.*

2) In eadem quaestione illud explicari potuit, quod indicavit Spengelius. (Ueber die Pol. des Arist. ann. 11.): „Gewiss hat sich Aristoteles darüber erklärt, ob man Homer und die Tragiker, welche Plato verbannt hat, aufnehmen dürfe und warum. Vgl. VII. 17."

CAPUT VI.

De reliquis cicitatibus praeter optimam.

θεωρηθέντων γὰρ τούτων τάχ' ἂν μᾶλλον συνίδοιμεν πῶς ἑκάστη (πολιτεία) ταχθεῖσα καὶ τίσι νόμοις καὶ ἔθεσι χρωμένη. (c. §. 17.).

§. 57.

De librorum IV. V. VI. prooemio et dispositione.

Ut in Politia Plato, ita Aristoteles de optima republica disseruit Politicorum libris III. VII. VIII. Qua eadem quidem de re disputationem ingressus suam uterque secutus est rationem. Plato enim eam civitatem finxit optimam, quam in vitam hominum unquam posse induci ipse negaret. Aristoteles rempublicam optimam ita descripsit, ut κατ' εὐχὴν quidem omnia, neque tamen ἀδύνατον quidquam contineret. Plato autem quum ita de Politia sentiret, in Legum libris eam proponere constituit civitatis formam, quae quum ad vitam hominum esset tum ad reliquas civitates magis accommodata. Simili ratione Aristoteles in libris IV. V. VI. civitatem quaerit communiorem et faciliorem. Sed a Platonis libris de Legibus eo potissimum illi differunt, quod non de communiore solum civitate sed praeter optimam de omnibus reipublicae generibus conscripti sunt. Sed iam audiamus Aristotelem ipsum.

De omnibus igitur, quae genus totum non partem complectuntur, artibus et doctrinis si quaerimus, unius eiusdemque artis est dispicere, et quid sit aptum cuique generi, et quid communiter plerisque. Veluti exercendi magistri est quaerere, et quae singulis corporibus exercitatio conveniat (et quum ea quae optimo corpori conveniat exercitatio optima sit, quaenam optima), et quae plerisque. Est autem eiusdem magistri, quam quis sibi cunque comparare velit corporis facultatem et habilitatem efficere, quamvis idem pro corporis natura consequi meliorem possit et praestan-

tiorem. Eiusdem est igitur doctrinae investigare et

a) qui sit reipublicae status optimus et qualis, et

b) qui sit ad singulas civitates aptus (sunt enim respublicae, quae quum necessaria *χορηγίᾳ* conditionibusque (*ὑποθέσεσι*) careant, optimum statum consequi haudquaquam possunt; eis ergo accommodandus est is, qui pro *ὑπάρχουσιν* est optimus).

c.) Iam vero civitas si *χορηγίᾳ* necessaria destituta, optima quidem forma constitui non potest, nonnunquam fit, ut reiecta ea qua uti possit, deteriorem sibi assumat. Quare haec quidem forma deterior quomodo et oriatur ab initio [1]) et propagetur, sciendum est *πολιτικῷ*.

d.) Neque vero qui est rerum civilium studiosus ignorabit, quinam status plerisque sit civitatibus maxime aptus.

e.) Commutandus est autem status deterior in meliorem, (c.) ita tamen ut eius retineatur forma. Quod quum efficere nemo possit, nisi exploratum habeat, quot sint species rerumpublicarum et quales: enucleandum est, et quot sint *δημοκρατίας* et *ὀλιγαρχίας* species, et quibus inter se rationibus differant.

f.) Denique quod de civitatium formis dictum est, idem ad leges etiam pertinet. Leges enim suae cuique reipublicae statui accommodandae sunt. Quare tot legum, quot rerumpublicarum discrepantiae (Pol. IV. 1.).

Iam vero de optima republica, quod regnum est aut *ἀριστοκρατία*, quum disputatum sit: reliquum est, ut de ceteris dicatur reipublicae generibus quattuor, de imperio populi, tyranni, factionis, *δήμου*. De quibus quomodo disserere con-

---

1) Verba *ἐξ ἀρχῆς τε πῶς ἂν γένοιτο καὶ γενομένη τίνα τρόπον ἂν σώζοιτο πλεῖστον χρόνον* non iusta de causa offensioni fuisse videntur Spengelio. Conferenda erant, quae supra posita sunt *Ἔτι δ᾽ ἐάν τις μὴ τῆς ἱκνουμένης ἐπιθυμῇ . . . . παρασκευάσαι τε καὶ ταύτην ἐστὶ τὴν δύναμιν.*

stituerit Aristoteles, ut accurate dispiciatur, verba eius transcribam integra:

I. *Ἡμῖν δὲ πρῶτον μὲν διαιρετέον πόσαι διαφοραὶ τῶν πολιτειῶν, εἴπερ ἔστιν εἴδη πλείονα τῆς τε δημοκρατίας καὶ τῆς ὀλιγαρχίας* (cf. e.)

II. *Ἔπειτα τίς κοινοτάτη καὶ τίς αἱρετωτάτη μετὰ τὴν ἀρίστην πολιτείαν, κἂν εἴ τις ἄλλη τετύχηκεν ἀριστοκρατικὴ καὶ συνεστῶσα καλῶς·* (cf. b.) *ἀλλὰ ταῖς πλείσταις ἁρμόττουσα πολέσι τίς ἐστιν.* (cf. d.).

III. *Ἔπειτα καὶ τῶν ἄλλων τίς τίσιν αἱρετή· τάχα γὰρ τοῖς μὲν ἀναγκαία δημοκρατία μᾶλλον ὀλιγαρχίας, τοῖς δ' αὕτη μᾶλλον ἐκείνης* (cf. b. c.).

IV. *Μετὰ δὲ ταῦτα τίνα τρόπον δεῖ καθιστάναι τὸν βουλόμενον ταύτας τὰς πολιτείας, λέγω δὲ δημοκρατίας τε καθ' ἕκαστον εἶδος καὶ πάλιν ὀλιγαρχίας* (cf. c.).

V. *Τέλος δέ, πάντων τούτων ὅταν ποιησώμεθα συντόμως τὴν ἐνδεχομένην μνείαν, πειρατέον ἐπελθεῖν τίνες φθοραὶ καὶ τίνες σωτηρίαι τῶν πολιτειῶν καὶ κοινῇ καὶ χωρὶς ἑκάστης, καὶ διὰ τίνας αἰτίας ταῦτα μάλιστα γίνεσθαι πέφυκεν* (cf. b. c. d. e. f.).

Quinquepartita est igitur trium librorum dispositio. Quam si sequemur, a veritate aberrare non poterimus. Iam explicandus est locus

I.

Πόσαι διαφοραὶ τῶν πολιτειῶν εἴπερ ἔστιν εἴδη πλείονα τῆς τε δημοκρατίας καὶ τῆς ὀλιγαρχίας (Pol. IV. 3—7.).

§. 58.

Primum Aristoteles indagare studet, cur sint plures rerumpublicarum species et diversae. Quae quidem causa in eo cernitur, quod civitas multas habet partes, quarum alia aliis potest antecedere et imperare, neque omnis easdem. Quare tot rerumpublicarum species, quot *τάξεις κατὰ τὰς ὑπεροχὰς καὶ κατὰ τὰς διαφορὰς τῶν μορίων.* Plerisque autem esse duo potissimum

rerumpublicarum genera videntur, ὀλιγαρχία et δημοκρατία; eisque subiectum esse dicunt statum optimatium et popularem. Sed praestat civitates ita dividere, ut perniciosa quae respondeat optimae (regno aut ἀριστοκρατίᾳ) sit ὀλιγαρχία, δημοκρατία autem appelletur ea quae sit imperio populari opposita. Deinde ὀλιγαρχίας et δημοκρατίας definitionem iam in III. 8. propositam uberius explicat. His quidem ita expositis, accedere ad rem quam sibi tractandam sumpsit nondum potest. Dinumerandae ante sunt civitatium partes, qui sunt agricolae, opifices, mercatores, θῆτες, milites, copiosi, magistratus (τὸ περὶ τὰς ἀρχὰς λειτουργοῦν μέρος), iuris disceptatores, concilii socii (τὸ βουλευόμενον). Horum quidem munera in unum plura conferri possunt; divites autem ut sint eidem et pauperes, fieri nunquam potest. Quare eae ipsae praecipuae esse videntur civitatis partes, eamque ob causam rerumpublicarum duo potissimum genera, δημοκρατία et ὀλιγαρχία. Iam capite V., quot sint δημοκρατίαι et ὀλιγαρχίαι, exponitur et qua ratione inter se differant. Sunt autem δημοκρατίας species quinque, quarum tamen una, in qua non leges imperant, sed per plebem geruntur omnia, πολιτεία est non re, sed nomine. Ὀλιγαρχίας vero sunt species quattuor, quarum in deterrimam quae vera est factio (δυναστεία) idem cadit, quod in istam δημοκρατίαν. Denique quibus causis quibusque rationibus fiat, ut diversae oriantur species ὀλιγαρχίας et δημοκρατίας, enucleatur capite VI.

II.

Ἔπειτα τίς κοινοτάτη καὶ τίς αἱρετωτάτη μετὰ τὴν ἀρίστην πολιτείαν, κἂν εἴ τις ἄλλη τετύχηκεν ἀριστοκρατικὴ καὶ συνεστῶσα καλῶς· ἀλλὰ ταῖς πλείσταις ἁρμόττουσα πόλεσι τίς ἐστιν (Pol. IV. 7—11.).

§. 59.

Postquam Aristoteles quot sint δημοκρατίαι et ὀλιγαρχίαι exposuit, speraverit quispiam fore ut doceat, eae

quibus accommodatae sint populis et qua ratione constituantur. At vero disputatio de eo statu, qui plerisque civitatibus convenit, quum hac potissimum Politicorum parte tractaretur, quamprimum fuit et instituenda et ad finem perducenda. Eam autem nullo modo suscipi ante potuisse, quam de generibus *ὀλιγαρχίας* et *δημοκρατίας* dictum esset, et ex eius ipsius natura liquet et ex verbis quae sunt in Pol. IV. 8. *Φανερωτέρα γὰρ ἡ δύναμις αὐτῆς (τῆς καλουμένης πολιτείας) διωρισμένων τῶν περὶ ὀλιγαρχίας καὶ δημοκρατίας.* Unus igitur de *δημοκρατίᾳ* et *ὀλιγαρχίᾳ* locus pertractandus fuit ante quaestionem de statu communiore. Quae item ante instituenda fuit, quam iuste explicari posset, *δημοκρατία* et *ὀλιγαρχία* quibus aptae essent et quomodo conderentur. Haec de rerum ordine et dispositione. Iam accedamus ad disputationem de statu communiore. Quaerere igitur Aristoteli propositum est, primum et potissimum quae sit respublica maxime communis, et quaenam optima praeter vere praestantissimam, deinde etiam ecquae aliae sint civitates *ἀριστοκρατικαί* (cf. Pol. IV. 2.).

Hanc igitur disputationem ita instituit, ut (id quod huius libri in cap. II. promiserat) etiam dicat de tyrannide. Quare ab initio enumerat quinque rerumpublicarum genera, imperium singulare, *ὀλιγαρχίαν*, *ἀριστοκρατίαν*, *πολιτείαν*. Iam ad *ἀριστοκρατίαν* propius accedens praeter optimam rempublicam esse ait *ἀριστοκρατίας* tres; unam, quum non virtutis solum in eligendis magistratibus, verum et divitiarum et populi rationem habent; alteram, quum non divitias spectant sed virtutem et populum; tertiam eam, quae ad *ὀλιγαρχίαν* magis inclinat.

Πολιτείαν vero esse statum ex *ὀλιγαρχίᾳ* conflatum et ex *ἀριστοκρατίᾳ* s. mixtum ex divitibus et e pauperibus. Talem igitur esse rempublicam communiorem, eamque optimam praeter veram *ἀριστοκρατίαν*, in qua neque virtus negligitur in eligendis magistratibus neque divitiae neque

populus[1]). Constituendam esse autem *πολιτείαν* miscendis *δημοκρατίας* legibus et *ὀλιγαρχίας*, capite IX. edocet. Quibus explicatis, etiam apparet, qua ratione tres illae quidem describendae sint *ἀριστοκρατίαι πολιτείᾳ* finitimae. Tum capite X. locus de tyrannide eiusque generibus inseritur et perstringitur.

Iam ad eum locum quem sibi proposuit tertium pergere posset, nisi de *πολιτείᾳ* et de *ἀριστοκρατίαις* aliquid adiungendum esset. Quemadmodum enim quaestio de republica vere optima erat tripartita: ita etiam communior civitas postquam per quos regenda et qua ratione constituenda sit, satis superque patet, dicendum est eadem ex quibus componatur. Quum non virtus reipublicae communiori, sed liberalitas et divitiae propositae sint: in ea qui cives sunt, non omnibus virtutibus instructi sint oportet, sed ad liberalitatem comparati. Ita autem plerumque affecti sunt ei, qui modicas sibi compararunt divitias. Deinceps dicendum est de loco

III.

Ἔπειτα καὶ τῶν ἄλλων τίς τίσιν αἱρετή· τάχα γὰρ τοῖς μὲν ἀναγκαία δημοκρατία μᾶλλον ὀλιγαρχίας, τοῖς δ' αὕτη μᾶλλον ἐκείνης (Pol. IV. 12 et 13.).

§. 60.

Qui quidem locus de *ὀλιγαρχίᾳ* et *δημοκρατίᾳ* cur proxime post I. disputationem sequi non potuerit, dictum est in §. 59. Superiore autem cum quaestione connectitur

---

1) cf. Pol. II. 6. *Ἡ δὲ σύνταξις ὅλη βούλεται μὲν εἶναι μήτε δημοκρατία μήτε ὀλιγαρχία, μέση δὲ τούτων, ἣν καλοῦσι πολιτείαν, ἐκ γὰρ τῶν ὁπλιτευόντων ἐστίν. Εἶ μὲν οὖν ὡς κοινοτάτην ταύτην κατασκευάζει ταῖς πόλεσι τῶν ἄλλων πολιτείαν, καλῶς εἴρηκεν ἴσως, εἰ δ' ὡς ἀρίστην μετὰ τὴν πρώτην πολιτείαν, οὐ καλῶς, τάχα γὰρ τὴν τῶν Λακώνων ἄν τις ἐπαινέσειε μᾶλλον, ἢ κἂν ἄλλην τινὰ ἀριστοκρατικωτέραν.*

aptissime. Nam quaerere *πολιτεία* ex quibus componenda sit civibus, et dicere quibus conveniat, idem est. Hanc autem de *δημοκρατίᾳ* et *ὀλιγαρχίᾳ* disputationem Aristoteles iam est suscepturus. Primum igitur legem profert in omnibus comprobatam civitatibus. Necesse esse ait, qui salvum reipublicae statum esse velint, opibus vel potentia vel numero plus valeant, quam qui commutare aveant. Deinde vero explicat, quibus populis quaeque sit *δημοκρατίας* et *ὀλιγαρχίας* species accommodanda. Sunt autem in civitatem semper recipiendi modice locupletes. Qui si divites vel pauperes vel utrosque numero superant, immutabilis et firma erit *πολιτεία.* Firmissima autem optime moderata et permixta. Tum *ὀλιγαρχικὰ* quaedam, quae fucum faciunt populo, enumerat *σοφίσματα.* Ea quidem in *πολιτείᾳ* pariter vitanda ac *δημοκρατικὰ* quibus falluntur divites. Falsis enim ex bonis mala existunt vera.

Quibus ita explicatis, Aristoteles locos pertractavit tres. Quod se fecisse his quidem significat verbis (IV 13.): *Διὰ τίνα μὲν οὖν εἰσὶν αἰτίαν αἱ πολιτεῖαι πλείους, καὶ διὰ τί παρὰ τὰς λεγομένας ἕτεραι (δημοκρατία τε γὰρ οὐ μία τὸν ἀριθμόν ἐστι, καὶ τῶν ἄλλων ὁμοίως), ἔτι δὲ τίνες αἱ διαφοραὶ καὶ διὰ τίνα αἰτίαν συμβαίνει, πρὸς δὲ τούτοις τίς ἀρίστη τῶν πολιτειῶν ὡς ἐπὶ τὸ πλεῖστον εἰπεῖν, καὶ τῶν ἄλλων ποία ποίοις ἁρμόττει τῶν πολιτειῶν, εἴρηται.* Quare non est, cur ad IV. locum eum transgressurum non expectemus. Erat autem is de constituendis *δημοκρατίαις* et *ὀλιγαρχίαις.*

IV.

Μετὰ δὲ ταῦτα τίνα τρόπον δεῖ καθιστάναι τὸν βουλόμενον ταύτας τὰς πολιτείας, λέγω δὲ δημοκρατίας τε καθ' ἕκαστον εἶδος καὶ πάλιν ὀλιγαρχίας.

§. 61.

Neque tamen solum ad hunc locum tractandum accedit, sed de reliquis locis ita se disputaturum ait, ut iterum de

rebuspublicis in universum exponat et de unaquaque separatim; sed aptum faciendum ante esse exordium. (Pol. IV.14. *Πάλιν δὲ καὶ κοινῇ καὶ χωρὶς περὶ ἑκάστης λέγωμεν περὶ τῶν ἐφεξῆς, λαβόντες ἀρχὴν τὴν προσήκουσαν αὐτῶν.*).

§. 62.

De disputationis IV. exordio (Pol. IV. 14. 15. 16.).

Rerum naturae conveniens aptumque exordium se praepositurum pollicitus, Aristoteles quaestionem instituit de tribus civitatis partibus. Quae si recte se habent, tota necesse est recte se habeat respublica; quae si inter se discrepant, discrepabunt etiam reipublicae formae. Sunt autem concilium (*τὸ βουλευόμενον*), magistratus (*ἀρχαί*), iudicium (*τὸ δικάζον*). De quibus deinceps disputabitur.

Est igitur concilii, deliberare de bello, pace, de foederibus, legibus, iudicare de civibus morte mulctandis aut exilio, rationem reposcere a magistratibus. Quae res omnes aut ab omnibus discerni possunt aut a quibusdam, aut aliae ab omnibus, a quibusdam aliae. Quum omnium rerum deliberatio transfertur ad omnes, est is quidem modus *δημοτικός*; per singulos autem quum geruntur omnia, *ὀλιγαρχικός*. Qui quidem modi ipsi quum varii esse possint, suus cuique distribuitur reipublicae generi. Si autem domini aliarum rerum singuli, aliarum omnes sunt, modus ad optimatium et ad populi statum est aptus. Denique Aristoteles quaedam alia edocet, quae singulis expediunt rerumpublicarum conformationibus.

Iam quum sit de altera civitatis parte dicendum, primum magistratus (*ἀρχαί*) qui sint definit, deinde quot sint creandi in magnis, quot in parvis civitatibus, tum quales singulis apti sint rerumpublicarum generibus, postremo in *ὀλιγαρχίᾳ*, in *δημοκρατίᾳ*, in *πολιτείᾳ* s. *ἀριστοκρατίᾳ* per quos, ex quibus et qua ratione deligantur.

Denique eodem modo dicit, et quot sint iudiciorum species, et ex quibus sint iuris disceptatores et quomodo

eligendi in singulis civitatibus, et quibus de rebus eis iudicium sit committendum.

Iam ad disputationem ipsam progrediemur; sed ante aliis de rebus dicendum est; et primum quidem

§. 63.

De libri IV. integritate.

Libri IV. caput VII. in quo de *ἀριστοκρατίας* generibus disseritur, integrum esse negavit Conringius. Eam enim disputationem breviorem esse dixit. At vero ad eam accedunt, quae de *πολιτείᾳ* disputantur capp. IX. et XI. Quae eadem ad *ἀριστοκρατίας* pertinere, argumento sunt: Pol. IV.9. *Τίνα μὲν οὖν τρόπον δεῖ καθιστάναι πολιτείαν, ὁμοίως δὲ καὶ τὰς ὀνομαζομένας ἀριστοκρατίας, νῦν εἴρηται.* et Pol. IV. 11. *Καὶ γὰρ ἃς καλοῦσι ἀριστοκρατίας, περὶ ὧν νῦν εἴπομεν, τὰ μὲν ἐξωτέρω πίπτουσι ταῖς πλείσταις τῶν πόλεων, τὰ δὲ γειτνιῶσι τῇ καλουμένῃ πολιτείᾳ· διὸ περὶ ἀμφοῖν ὡς μιᾶς λεκτέον.* In promptu sunt loci alii.

Idem Conringius capitibus XV. et XVI. existimavit deesse finem. Etenim cap. XV. mutilum esse comprobari verbis, quae eius sub finem legantur: *τίνα δὲ τίσι συμφέρει καὶ πῶς δεῖ γίνεσθαι τὰς καταστάσεις ἅμα ταῖς δυνάμεσι τῶν ἀρχῶν καὶ τίνες εἰσὶν, ἔσται φανερόν.* De quibus postea. Tenendum est autem, illo quidem in capite nihil omnino desiderari. Iam vero ut cap. XVI. pro mutilo haberet, duabus potissimum adductus est rationibus. Quarum una est, quod „Aristoteles non disseruerit, quae iudicia singulis convenirent rerumpublicarum formis.“ At quae apta sint ad *δημοκρατίαν* iudicia, quae ad *ὀλιγαρχίαν*, *ἀριστοκρατίαν*, *πολιτείαν*, ipso ultimo commemorat huius capitis enuntiato. Conringius autem si speravit, fore ut sua cuique iudicia attribuerentur *δημοκρατίας* generi et *ὀλιγαρχίας* et *ἀριστοκρατίας*, nimius fuit. Alteram rationem esse dixit, quod „non solenni colophone Aristoteles orationem concluderet.“ Hoc Conrin-

gius recte quidem; sed quod ex eo caput illud mutilum esse coniecit, id non recte. Aliud enim ea ex re colligendum esse puto. De quo mox disputabimus.

Iam quum in libro IV. is teneatur rerum ordo, quem in cap. II. Aristoteles ipse descripsit: pergamus ad reliqua. Et primum quidem dicendum est de magna illa controversia, quae est de librorum V. et VI. ordine et consecutione. Sed ante pauca annotanda sunt.

Annotatio. In Pol. IV. 4., ubi de civitatis partibus disseritur, milites (τὸ γένος προπολεμῆσον) *quinto* ponuntur loco. De militibus deinde disputatione interposita, proxime sequuntur haec: ἕβδομον δὲ τὸ ταῖς οὐσίαις λειτουργοῦν ὃ καλοῦμεν εὐπόρους. Ὄγδοον κ. τ. λ. Quae quidem ad verba recte annotavit Conringius praetermissam esse partem VI. Nam iudices et consilium commemorantur quidem ante locum septimum, sed argumentandi causa. Praeterea si ex VII. 8. recte iudicari potest collocandi sunt illi quidem loco ultimo; et revera collocantur (cf.: Λοιπὰ δὲ περὶ ὧν τυγχάνομεν διωρικότες ἀρτίως τὸ βουλευόμενον καὶ κρῖνον περὶ τῶν δικαίων τοῖς ἀμφισβητοῦσιν). Quae quum ita se haberent, Conringius in eam sententiam deductus est, ut putaret locum VI. quo positi essent sacerdotes excidisse. Quod si verum est, illud nescio quam habeat admirationem, quod in eis quae sequuntur capitibus de sacerdotibus nusquam mentio est. Facilius mea quidem sententia et probabilius, difficultates tollentur, si ἕβδομον et ὄγδοον numeros (id quod saepius factum esse scimus) corruptos esse dixerimus, scribendum autem ἕκτον et ἕβδομον.

Conringius asteriscos quum in toto capite VIII. disposuit, tum vero eius in enuntiato primo, cuius quidem sententiam minime assecutus esse videtur. Sed eam satis neque Goettlingium[1]) neque Stahrium intellexisse video. Est autem enuntiatum hoc: Λοιπὸν δ' ἐστὶν ἡμῖν περί τε τῆς νομιζομένης πολιτείας εἰπεῖν καὶ περὶ τυραννίδος· ἐτάξαμεν δ' οὕτως οὐκ οὖσαν οὔτε ταύτην παρέκβασιν οὔτε τὰς ἄρτι ῥηθείσας ἀριστοκρατίας, ὅτι τὸ μὲν ἀληθὲς πᾶσαι διημαρτήκασι τῆς ὀρθοτάτης πολιτείας, ἔπειτα καθαριθμοῦνται μετὰ τούτων, εἰσί τ' αὐτῶν αὐ-

1) Goettlingius eius sententiam assequi nullo modo potuit, quum quinam esset optimae reipublicae status ignoraret, falsamque sibi finxisset verbi ἀριστοκρατία vim ac significationem, cf. eius praef. p. XVIII.

ται παρεκβάσεις, ὥσπερ ἐν τοῖς κατ' ἀρχὴν εἴπομεν. Sciendum est autem, Aristotelem, quanquam πολιτείαν numeraverit in civitatibus probabilibus, de ea tamen disputationem protulisse in ea Politicorum parte, quae est de rebuspublicis perniciosis. Quod cur fecerit illo quidem quod supra posuimus explicat enuntiato. Cuius sententia haec est: Quanquam πολιτεία et illae ἀριστοκρατίαι civitates non sunt perniciosae, tamen de eis disputatio ad hunc locum (qui est de perniciosis civitatibus) reservata est, quod eae omnes ab optima republica (ὀρθοτάτῃ πολιτείᾳ) deflectunt. Nihilominus tamen (ἔπειτα) habentur in probabilibus (ὀρθαῖς πολιτείαις); revera autem sunt probabilium παρεκβάσεις, ut ab initio dictum est. cf. huius libri cap. III. Μάλιστα μὲν οὖν εἰώθασιν οὕτως ὑπολαμβάνειν περὶ τῶν πολιτειῶν· ἀληθέστερον δὲ καὶ βέλτιον ὡς ἡμεῖς διείλομεν, δυοῖν ἢ μιᾶς οὔσης τῆς καλῶς συνεστηκυίας τὰς ἄλλας εἶναι παρεκβάσεις, τὰς μὲν τῆς εὖ κεκραμένης ἁρμονίας τὰς δὲ τῆς ἀρίστης πολιτείας κ. τ. λ.[1]). Interpretibus autem tenebras offudit verbum ἔπειτα minus usitatum pro κἔπειτα.

---

1) Ingeniosius de hac re Spengelius in utraque dissertatione, quam verius: „Ueber πολιτεία IV. 8. sagt er, er habe sie absichtlich hieher gestellt, weil sie den besten Staat nicht erreiche und gewöhnlich mit der Demokratie und Oligarchie verbunden werde. Aber warum hat er sie oben als eine ὀρθὴ πολιτεία dargestellt? Etwa seiner Dreitheilung zu lieb? Weil was in der Wirklichkeit nicht oder höchst selten erscheint, die Theorie nicht abhalten darf anzunehmen. Es ist möglich, dass in einem Staate nicht blos einer, oder ein Geschlecht, wie in der βασιλεία, oder mehrere, wie in der ἀριστοκρατία, sondern alle ohne Ausnahme ihre Thätigkeit auf die Ausübung der gesammten Tugenden abzielen: dann wäre es die eigentliche πολιτεία und sie würde mit der ἀρίστη πολιτεία zusammenfallen. Theoretisch also darf es nicht umgangen werden, wenn auch praktisch dieses nicht erscheint, und die πολιτεία nur in der Gestalt auftritt, wie sie im 4. Buche erscheint." Sed quomodo factum est, ut apud Aristotelem huius sententiae ne verbum quidem legeretur? At vero negandum est nullam esse civitatem probabilem, nisi magistratus habeat virtutibus praeditos omnibus. Nam quum magistratus omnia ad utilitatem communem referunt, status is vocatur ὀρθός. cf. Pol. III. 6. Quare πολιτεία, in qua per populum omnia et geruntur communemque ad utilitatem referuntur, aequo iure ac regnum et ἀριστοκρατία, in numero

§. 64.

De V. et VI. librorum ordine.

In omnibus et codicibus et editionibus quum usque ad nostram aetatem liber V. de rerumpublicarum mutationibus legeretur ante sextum, qui est de constituenda *δημοκρατίᾳ* et *ὀλιγαρχίᾳ*: primus exstitit Barth. Hilarius, qui librorum ordinem communtandum esse diceret. Eius autem sententiae se socios adscripserunt Woltmannius, Koppius, Leonh. Spengelius, Stahrius[1]), alii. Contra disputaverunt Forchhammerus l. c. et scriptor dissertationis, quae est in „Hall. Litt. Zeit. 1839. Nro. 198." sqq. Iam vero argumenta, quibus doctissimi viri illi suam muniverunt sententiam, afferamus, examinemus et augeamus rationibus quibus poterimus novis.

I. Primum igitur argumentum idemque gravissimum est in ea rerum dispositione tractandarum, quam in IV. 2. Aristoteles descripsit ipse. *ἡμῖν δὲ πρῶτον μὲν διαιρετέον . . . . . . ἔπειτα . . . . . . ἔπειτα . . . . . . μετὰ δὲ ταῦτα τίνα τρόπον δεῖ καθιστάναι τὸν βουλόμενον ταύτας τὰς πολιτείας, λέγω δὲ δημοκρατίας τε καθ' ἕκαστον εἶδος καὶ πάλιν ὀλιγαρχίας. Τέλος δέ, πάντων τούτων ὅταν ποιησώμεθα συντόμως τὴν ἐνδεχομένην μνείαν, πειρατέον ἐπελθεῖν τίνες φθοραὶ καὶ τίνες σωτηρίαι τῶν πολιτειῶν καὶ κοινῇ καὶ χωρὶς ἑκάστης καὶ διὰ τίνας αἰτίας ταῦτα μάλιστα γίνεσθαι πέφυκεν*[2]). Quam rem *priore* loco posuit,

---

est probabilium rerumpublicarum. Sed *πολιτεία* ideo status esse non potest optimae civitatis, quia in optima cives qui ad rempublicam accedunt omnes omnibus debent excellere virtutibus. Totus autem populus s. cives omnes ut sint omnibus virtutibus praeditit, nunquam usquam evenit (cf. Pol. III. 17.): at vero ut ad communem utilitatem referant omnia, sane quidem usuvenit. Quare *ὀρθαῖς* in civitatibus *πολιτεία* est recte ac merito, quamvis ab *ὀρθοτάτῃ* civitate aberravit.

1) Ll. citt. §. 43.

2) *Τέλος δέ, πάντων τούτων ὅταν* sic distinguendum esse putavi a Bek-

eam libro explicavit *sexto*, quam fore *posteriorem* promisit, eam exposuit libro *quinto*. Haec ad expediendum sane difficilia. Susceptum enim consilium Aristotelem mutasse dicere nec licet nec decet. Quod si fecisset, aut libri quarti verba commutaturus fuisset aut id se abiecisse consilium quod ante ceperat significaturus. Neque locum illum dicere corruptum ausim. Quare est codicum scriptura retinenda; mutanda librorum consecutio.

II. Et profecto illam quidem duorum librorum commutationem necessariam esse demonstrat earum, quae in ultima Politicorum parte sunt, rerum omnium distributio. Primum enim Aristoteles in libro IV. *dinumerat* δημοκρατίας *et* ὀλιγαρχίας *species*. Deinde ἀριστοκρατίας generibus allatis, explicat quomodo et constituantur et componantur ἀριστοκρατία et πολιτεία quibusque conveniant. Tum ad quaestionem *de* ὀλιγαρχίᾳ *et* δημοκρατίᾳ reversus, *quibus sint singulae earum* species accommodandae, ostendit. Scriptor igitur qui iustam distribuendi sanamque rationem sequitur, quid illis rebus continuabit. Perficietne inceptam *de* ὀλιγαρχίᾳ *et* δημοκρατίᾳ disputationem? Nonne *qua ratione eae civitates constituantur docebit*? Disputationem de re diversa i. e. de omnibus civitatium formis num suscipiet prius, quam de δημοκρατίᾳ et ὀλιγαρχίᾳ quaestionem ad finem perduxerit?

III. Iam pergamus ad ultima libri IV. capita. Quibus eius quae sequitur disputationis continetur principium (ἀρχή).

---

kero (τέλος δὲ πάντων τούτων, ὅταν) dissentiens. Pronomina πάντων τούτων ad vocem μνείαν retulerim, quae genitivo vacua esse non potest. Sin quis statuerit a verbo τέλος pendere πάντων τούτων, is dicat oportet, alterum qui ad μνείαν pertineat deesse genitivum. Contra τέλος genitivum non requirit, quia quasi quaedam est coniunctio. Verborum autem collocatio ea quidem neque apud Graecos est inusitata neque apud Latinos (postremo horum omnium si fecerimus mentionem).

Pol. IV. 14. *Πάλιν δὲ καὶ κοινῇ καὶ χωρὶς περὶ ἑκάστης λέγωμεν περὶ τῶν ἐφεξῆς λαβόντες ἀρχὴν τὴν προσήκουσαν αὐτῶν.* Disserit autem Aristoteles de concilio, magistratibus, iudiciis. Quibus discrepantibus, discrepant etiam rerumpublicarum formae. Ita vero de eis disserit, ut eorum genus suum cuique rerumpublicarum generi quasi attribuat. Quae res quid ad librum V. de civitatium commutatione, interitu, conservatione? At vero libro VI. de constituendis *δημοκρατίαις* et *ὀλιγαρχίαις* negari non potest id ipsum esse principium maxime idoneum (*ἀρχὴν προσήκουσαν*)· Quae quum ita sint, principium ab ea re, cuius est principium, disiunctum esse dicimus.

IV. Sed quod tria illa capita demonstrant, locus quidam qui eis inest tam manifeste declarat, ut qui attento animo legat eum id fugere nullo modo possit. Est autem hic: Pol. IV. 15. *Οἱ μὲν οὖν τρόποι τῶν περὶ τὰς ἀρχὰς τοσοῦτοι τὸν ἀριθμόν εἰσι καὶ διῄρηνται κατὰ τὰς πολιτείας οὕτως· τίνα δὲ τίσι συμφέρει καὶ πῶς δεῖ γίνεσθαι τὰς καταστάσεις, ἅμα ταῖς δυνάμεσι τῶν ἀρχῶν καὶ τίνες εἰσίν, ἔσται φανερόν.* Quae verba quasi quandam dispositionem praeposuit sequenti disputationi. Intelligi enim eam voluit, quae est in libro VI. 1—7. et 8. de constituendis *ὀλιγαρχίαις* et *δημοκαρτίαις* deque magistratuum numero. Quam primum autem huic se promisso satisfacturum vocibus *ἔσται φανερὸν* indicavit. Id enim observasse mihi videor, disputationem quam statim sit ingressurus eum significare verbis *ἔσται φανερόν*, remotiorem autem verbis *ὕστερον ἐροῦμεν·* At vulgarem librorum ordinem secutus, quaestionem quam exspectas cuiusque iam habes partitionem non prius offendes, quam perlecto libro quinto.

V. Iam vero praecisa tria de quibus agitur capita esse videntur. Neque enim Aristoteleo more conclusa disputatio est. Unde suspicio erat, caput XVI. esse mutilum (cf. §. 63.). Et profecto omnino non est integrum. Etenim huius

capitis clausula de loco demota est una cum libro sexto. Est enim haec: *Πόσαι μὲν οὖν διαφοραὶ καὶ τίνες τοῦ τε βουλευτικοῦ καὶ κυρίου τῆς πολιτείας καὶ τῆς περὶ τὰς ἀρχὰς τάξεως καὶ περὶ δικαστηρίων καὶ ποῖα πρὸς ποίαν συντέτακται πολιτείαν .... εἴρηται πρότερον.* Quae quidem verba quum sexto cum libro non sint coniuncta, eius exordium nullo modo esse possunt. Nam Aristoteles si ad exordiendam novam disputationem res de quibus dixit complectitur, *πρότασιν* incipere solet coniunctione *ἐπεί*. Revera eum idem hoc loco fecisse video: *Ἐπεὶ δὲ τετύχηκεν εἴδη πλείω δημοκρατίας ὄντα κ. τ. λ.* Antequam ad librum V. transgredimur, commemoranda esse videntur verba, quae leguntur in Pol. IV. 11. *Τὴν δ'αἰτίαν ὕστερον ἐν τοῖς περὶ τὰς μεταβολὰς τῶν πολιτειῶν ἐροῦμεν.* His enim tam accuratis, tamque distinctis verbis Aristoteles usus non fuisset, si quattuor capitibus interpositis, IV. libro adiuncturus fuisset V. de civitatum conversionibus.

VI. Iam accedamus ad librum V. Cuius confirmat ipsum exordium, librum VI. ei esse anteponendum: *Π ε ρ ὶ μ ὲ ν ο ὖ ν τ ῶ ν ἄ λ λ ω ν ὧ ν π ρ ο ε ι λ ό μ ε θ α σ χ ε δ ὸ ν εἴ ρ η τ α ι π ε ρ ὶ π ά ν τ ω ν· ἐκ τίνων δὲ μεταβάλλουσιν .... σκεπτέον ἐφεξῆς τοῖς εἰρημένοις.* Dictum esse ait de aliis rebus omnibus, quae sunt propositae (in Pol. IV. 2.); quibus autem de causis civitates evertantur, se iam consideraturum. At quum de constituendis *ὀλιγαρχίαις* et *δημοκρατίαις* dicere sibi proposuerit, de rebus autem dictum sit omnibus; ea etiam de re disputatum est. Quare liber VI. in quo haec inest disputatio positus ab Aristotelo est ante librum V.

VII. In V. 9. leguntur haec: *Ἁπλῶς δὲ ὅσα ἐν τ ο ῖ ς ν ό μ ο ι ς ὡς συμφέροντα λέγομεν τ α ῖ ς π ο λ ι τ ε ί α ι ς, ἅπαντα ταῦτα σώζει τὰς πολιτείας. Νόμοι* nullo modo quidquam aliud hoc loco significare possunt, quam leges quibus civitates (*πολιτεῖαι*) constituuntur. Quum autem dicat *πολιτείας*; non modo popularia genera sed etiam (id quod vel ex ver-

bis praecedentibus videre licet) intelligi vult *δημοκρατίαν* et *ὀλιγαρχίαν*. Quare verbis istis ei significantur libri, quibus de constituenda *πολιτείᾳ, δημοκρατίᾳ* et *ὀλιγαρχίᾳ* expositum est. At vero liber sextus nisi collocatur ante V. *de sola καλουμένῃ πολιτείᾳ* ante instituta disputatio est.

VIII. Sequuntur autem in eodem capite: *Καὶ τὸ πολλάκις εἰρημένον μέγιστον στοιχεῖον, τὸ τηρεῖν ὅπως κρεῖττον ἔσται τὸ βουλόμενον τὴν πολιτείαν πλῆθος τοῦ μὴ βουλομένου.* Iam saepius igitur dicit summum hoc praeceptum esse commemoratum. Quod si autem Politicorum libros qui praecedunt et capita perscrutari volueris, eius mentionem non esse videbis nisi uno loco, in Pol. IV. 12. In sexto autem libro non solum, ubi de constituenda *δημοκρατίᾳ* sermo est, praeceptum illud profertur sed etiam in capite VI. *τῷ τε κτωμένῳ τὸ τίμημα μετέχειν ἐξεῖναι τῆς πολιτείας, τοσοῦτον εἰσαγομένου τοῦ δήμου πλῆθος διὰ τοῦ τιμήματος, μεθ' οὗ κρείττονες ἔσονται τῶν μὴ μετεχόντων.* Quos quidem locos Aristoteles memoria tenuit, quum scriberet *πολλάκις*. — Praeterea ex reliquis verbis, quae sunt in eodem illo capite, facile intelligi licet eum notis de rebus dicere magnamque partem antea tractatis.

Ac de libri VI. argumentis quae dicimus positivis disputavimus. Sed hoc quanquam probandi vim magnam non habet, tamen non omiserim, quod ad librum VI. nulla omnino res in quinto reservatur.

IX. Iam vero ad librum sextum transeamus, cuius de enuntiato primo supra satis ut arbitror disseruimus. Secundum et tertium autem nunc in disceptationem vocanda sunt. Quare ea transcribam integra: *Ἐπεὶ δὲ τετύχηκεν εἴδη πλείω δημοκρατίας ὄντα καὶ τῶν ἄλλων ὁμοίως πολιτειῶν, ἅμα* [1]) *τε περὶ ἐκείνων εἴ τι λοιπόν, οὐ χεῖρον ἐπισκέψασθαι καὶ τὸν οἰκεῖον καὶ τὸν συμφέροντα τρόπον ἀποδοῦναι πρὸς ἑκάστην. Ἔτι δὲ καὶ τὰς συναγωγὰς αὐτῶν τῶν εἰρημένων*

---

1) De hac voce postea aliquid dicturus sum.

ἐπισκεπτέον πάντων τῶν τρόπων· ταῦτα γὰρ συνδυαζόμενα ποιεῖ τὰς πολιτείας ἐπαλλάττειν, ὥστε ἀριστοκρατίας τε ὀλιγαρχικὰς εἶναι καὶ πολιτείας δημοκρατικωτέρας. Λέγω δὲ τοὺς συνδυασμούς, οὓς δεῖ μὲν ἐπισκοπεῖν, οὐκ ἐσκεμμένοι δ'εἰσὶ νῦν. Quae verba quicunque libero animo et attento consideraverit, is ea proxime post disputationem de *τρόποις* sequi sentiet atque intelliget. Itaque non est, cur hac de re longus sim.

Praeterea Aristoteles, si in mediam disputationem de *δημοκρατίᾳ* et *ὀλιγαρχίᾳ* librum de rerumpublicarum depravationibus medicinisque inseruisset, certe libris VI. et V. aliud praeposuisset exordium. Illud cur ita faceret, procul dubio aperuisset [1]).

X. Accedunt libri VI. loci tres, qui eam in qua versamur rem aperte comprobant. Quorum unus est in cap. II. *Τῶν δ'ἀρχῶν δημοτικώτατον βουλή, ὅπου μὴ μισθοῦ εὐπορία πᾶσιν· ἐνταῦθα γὰρ ἀφαιροῦνται καὶ ταυτῆς τῆς ἀρχῆς τὴν δύναμιν· εἰς αὐτὸν γὰρ ἀνάγει τὰς κρίσεις πάσας ὁ δῆμος εὐπορῶν μισθοῦ, καθάπερ εἴρηται πρότερον ἐν τῇ μεθόδῳ τῇ πρὸ ταύτης.* Antecedens autem quae hoc loco commemoratur disputatio non liber quintus est sed quartus. Eius enim in capite XV. rem tractari eandem recte demonstravit Spengelius.

XI. Est locus alter in capite IV. *Δημοκρατιῶν δ'οὐσῶν τεττάρων βελτίστη μὲν ἡ πρώτη τάξει, καθάπερ ἐν τοῖς πρὸ τούτων ἐλέχθη λόγοις κ. τ. λ.* Qui referendus est ad IV. 4. Quartum autem librum quoniam scriptor *superiorem* (*λόγους πρὸ τούτων*) nominat in sexto, inter eos quintus locum habere non potest [2]).

---

1) Ei loco qui est in Pol. VI. 1. *Ποία μὲν οὖν δημοκρατία πρὸς ποίαν ἁρμόττει πόλιν, ὡσαύτως δὲ καὶ ποία τῶν ὀλιγαρχιῶν ποίῳ πλήθει καὶ τῶν λοιπῶν δὲ πολιτειῶν τίς συμφέρει τίσιν, εἴρηται πρότερον. Ὅμως δὲ κ. τ. λ.* maior esset argumentandi vis, si in libri initio legeretur.

2) Miram quandam esse inter finem libri sexti similitudinem et inter quinti exordium (*Περὶ μὲν οὖν τῶν ἀρχῶν ὡς ἐν τύπῳ σχεδὸν εἴρηται περὶ*

XII. Pol. VI. 4: Ἔτι δὲ καὶ τὰ τυραννικὰ κατασκευάσματα δημοτικὰ δοκεῖ πάντα, λέγω δ'οἷον ἀναρχία τε δούλων (αὕτη δ'ἂν εἴη μέχρι του συμφέρουσα) καὶ γυναικῶν καὶ παίδων, καὶ τὸ ζῆν ὅπως τις βούλεται παρορᾶν. Si liber quintus, ubi de tyrannorum artificiis uberrime dictum est, proxime praecessisset, verba τυραννικὰ κατασκευάσματα accuratius definiri necesse non erat.

XIII. Commutato igitur librorum ordine, liber quintus in finem removetur. Quem quidem librum si perlegere volueris, concedes Aristotelem ad hanc Politicorum partem concludendam nulla de re disputare aptius potuisse quam de conversionibus civitatium, corruptionibus, medicinis. Quid enim? Postquam δημοκρατίας, ὀλιγαρχίας, ἀριστοκρατίας, tyrannidis genera et quot sint didicisti et quomodo constituantur: nonne audire aves eadem quibus rebus aut depraventur aut conserventur [1]?

Haec fere sunt argumenta omnia, quibus qui sit verus librorum ordo, luculentissime demonstratum esse puto. At repugnant loci quattuor, quibus scriptor ita loquitur, quasi libro sexto quintus praecedat. Ei tamen omnes pro suppositiciis et habendi et habiti sunt. Nam quod ipsius auctoris dispositio demonstrat, quod in libro quarto disputandi ratio confirmat, quod sexti libri ἀρχὴ (IV. 14. 15. 16) com-

---

πάντων. Περὶ μὲν οὖν τῶν ἄλλων ὧν προειλόμεθα σχεδὸν εἴρηται περὶ πάντων) recte observavit Stahrius (l. c.). Sed ex hac similitudine argumentum petere equidem non ausim.

1) Hoc argumentum praeclare illustratum esse video a Spengelio (Ueber die Pol. des Arist. p. 35.). Es liegt aber in der Natur der Sache, dafs die Lehre, wie Staaten untergehen und wieder aufgerichtet werden können, nicht früher als deren Gründung behandelt werde. Sind die Staaten konstituirt und es tritt im Laufe der Zeit eine Verschlechterung ein, dann wird es nothwendig, dem wankenden Zustande zu Hülfe zu kommen, wie auch Arist. zuerst die φθοραὶ und dann erst die σωτηρίαι behandelt, immer aber ist die Gründung das erste, die Erhaltung das spätere und folgende.

probat, quod crebris locis declarant scriptoris verba planissima, quod liber quintus testatur et sextus: certe dissolvere id quattuor non possunt loci partim interpositi, partim depravati.

Iam quum constet libros V. et VII. una cum VIII. de loco esse demotos, non possum, quin meam de hac re proponam coniecturam. Quam habeat probabilitatem, aliorum sit iudicium. De loco igitur remoti sunt libri VII. et VIII., qui sequuntur I. II. III., ex reliquis autem libris sextus. Unde colligi potest certo voluminum numero libros I. II. III. fuisse complexos itemque libros IV. V. VI. Librum autem quintum unum vel plura continuerunt volumina, itidem quartum et sextum. Quare numeravi librorum versus. Sunt autem in editione Bekkeriana (Oxon.) libris I. II. III. versus 3008; libro IV. 1024; V. 1236; VI. 507. Unum igitur volumen si habebat circiter versus 504, tres illi libri volumina implebant sex, liber quartus duo, sextus unum, quintus qui est ultimus duo et unius voluminis partem dimidiam. Sin autem uno in volumine erant versus 252, libri illi tres erant in XII voluminibus, quintus fere in tribus etc. Quae si ita erant, facillime fieri potuit, ut singulorum inter se librorum volumina commutarentur [1]).

Reliquum est, ut quaeramus quattuor illis de locis, qui prius esse de depravatione civitatium et conservatione disputatum indicant.

Primus est in Pol. VI. 1. *Πόσαι μὲν οὖν διαφοραὶ καὶ τίνες τοῦ τε βουλευτικοῦ καὶ κυρίου τῆς πολιτείας καὶ τῆς περὶ τὰς ἀρχὰς τάξεως, καὶ περὶ δικαστηρίων, καὶ ποῖα πρὸς ποίαν συντέτακται πολιτείαν, ἔτι δὲ περὶ φθορᾶς τε καὶ σωτηρίας τῶν πολιτειῶν, ἐκ ποίων τε γίνεται καὶ διὰ τίνας αἰτίας, εἴρηται πρότερον.* Quibus in verbis primum ab Aristotelis consuetudine alienum est,

---

1) De libris VII et VIII. nihil certi dici potest, quum quot ex eis versus exciderint, effici non possit.

quod res eodem enumerantur quo explicatae sunt ordine. Aristoteles enim comprehensionis partes fuisset ita coniuncturus: *περὶ μὲν οὖν φθορᾶς τε καὶ σωτηρίας . . . . ἔτι δὲ πόσαι διαφοραὶ καὶ τίνες . . . . εἴρηται*, omisso verbo *πρότερον*. Denique negari non potest, qui verba ista interposuit imitatum esse libri IV. locum illum quidem notissimum (IV. 2.) *Τέλος δέ, πάντων τούτων ὅταν ποιησώμεθα συντόμως τὴν ἐνδεχομένην μνείαν, πειρατέον ἐπελθεῖν τίνες φθοραὶ καὶ τίνες σωτηρίαι τῶν πολιτειῶν καὶ κοινῇ καὶ χωρὶς ἑκάστης, καὶ διὰ τίνας αἰτίας ταῦτα μάλιστα γίνεσθαι πέφυκεν* [1]).

Locus alter in eodem capite legitur: *Ζητοῦσι μὲν γὰρ οἱ τὰς πολιτείας καθιστάντες ἅπαντα τὰ οἰκεῖα συναγαγεῖν πρὸς τὴν ὑπόθεσιν, ἁμαρτάνουσι δὲ τοῦτο ποιοῦντες, καθάπερ ἐν τοῖς περὶ τὰς φθορὰς καὶ τὰς σωτηρίας τῶν πολιτειῶν εἴρηται πρότερον.* Qua de re hoc loco sermo est, eam in quinto libro nusquam esse affirmavit Hilarius. Recte Woltmannius contra dixit. Est enim in cap. IX. Verba autem *καθάπερ . . . . . . πρότερον*, sententia integra, possunt induci.

Tertius inest in capite IV.: *Τὴν δὲ τελευταίαν, διὰ τὸ πάντας κοινωνεῖν οὔτε πάσης ἐστὶ πόλεως φέρειν, οὔτε ῥᾴδιον*

---

2) De sententiarum coniunctione recte Spengelius (Ueber die Pol. des Ar. p. 38.): „Hier (loco supra posito) kann man leicht sehen, dafs die Berufung auf das fünfte Buch den Zusammenhang stört. Die drei wichtigsten und obersten Staatsbehörden, sagt Aristoteles, sind oben nachgewiesen worden und wie sie in jeder Verfassung zur Erscheinung treten; weil aber Demokratie und Oligarchie nicht einfach sind, sondern mehrere Abstufungen und Arten bilden (von jeder werden vier aufgezählt), so bleibt anzugeben, wie sie in jeder von diesen sich gestalten. Dieses und nichts anderes soll hier gesagt werden; erst als die Stellung der beiden Bücher verändert war, schien eine Citation auf das nun vorausgehende Buch über *σωτηρίαι* und *στάσεις* unentbehrlich und wurde zum Nachtheil des in sich vollständigen Gedankens eingeschaltet."

διαμένειν μὴ τοῖς νόμοις καὶ τοῖς ἔθεσι εὖ συγκειμένην· ἃ δὲ φθείρειν συμβαίνει καὶ ταύτην καὶ τὰς ἄλλας πολιτείας εἴρηται πρότερον τὰ πλεῖστα σχεδόν. Πρὸς δὲ τὸ καθιστάναι ταύτην τὴν δημοκρατίαν καὶ τὸν δῆμον ποιεῖν ἰσχυρὸν εἰώθασιν οἱ προεστῶτες τῷ προσλαμβάνειν κ.τ.λ. **Verba quibus liber V. citatur supervacanea esse facile sentiet, qui sententiarum coniunctionem perpenderit.**

Postremus hic: Pol. VI. 5. *Διὸ δεῖ, περὶ ὧν τεθεώρηται πρότερον, τίνες σωτηρίαι καὶ φθοραὶ τῶν πολιτειῶν, ἐκ τούτων πειρᾶσθαι κατασκευάζειν τὴν ἀσφάλειαν, εὐλαβουμένους μὲν τὰ φθείροντα, τιθεμένους δὲ τοιούτους νόμους καὶ τοὺς ἀγράφους κ. τ. λ.* **Verba** *περὶ ὧν τεθεώρηται πρότερον* **non esse inducenda, sed immutanda in** *περὶ ὧν θεωρήσομεν ὕστερον* **recte annotavit Spengelius.**

Quattuor autem locos istos id quoque in suspicionem vocat, quod ne uno quidem *τῶν μεταβολῶν* **mentio est. Namque Aristoteles ipse in IV. 11. librum V. ita citat:** *Τὴν δ' αἰτίαν ὕστερον ἐν τοῖς περὶ τὰς μεταβολὰς τῶν πολιτειῶν ἐροῦμεν.* **— Neque vero apud Aristotelem si superior citatur disputatio, ea qua de re sit instituta, definiri solet. Quattuor igitur illi loci quin sint suppositi, dubitari non potest. Itaque libro V. reposito, pergamus ad VI.**

§. 65.

De constituendis *δημοκρατίαις* et *ολιγαρχίαις* (Pol. VI.).

Aristoteles postquam huius disputationis exordium quod est in tribus libri IV. capitibus conscripsit, eam ipsam quomodo instituere velit, cap. I. parte priore aperit; et his quidem verbis: *Ἐπεὶ δὲ τετύχηκεν εἴδη πλείω δημοκρατίας ὄντα καὶ τῶν ἄλλων ὁμοίως πολιτειῶν, ἅμα* [1]) *τε περὶ ἐκείνων εἴ τι λοιπόν, οὐ χεῖρον ἐπισκέψασθαι καὶ τὸν οἰκεῖον καὶ τὸν συμφέροντα τρόπον ἀποδοῦναι πρὸς ἑκάστην. Ἔτι δὲ καὶ τὰς συνα-*

---

1) Pro *ἍΜΑ* substituendum esse videtur *ἊΛΛΑ*.

γωγὰς αὐτῶν τῶν εἰρημένων ἐπισκεπτέον πάντων τῶν τρόπων· ταῦτα γὰρ συνδυαζόμενα ποιεῖ τὰς πολιτείας ἐπαλλάττειν, ὥστε ἀριστοκρατίας τε ὀλιγαρχικὰς εἶναι καὶ πολιτείας δημοκρατικωτέρας .... Ὅμως δὲ δεῖ γενέσθαι δῆλον μὴ μόνον ποία τούτων τῶν πολιτειῶν ἀρίστη ταῖς πόλεσιν, ἀλλὰ καὶ πῶς δεῖ κατασκευάζειν καὶ ταύτας καὶ τὰς ἄλλας ἐπέλθωμεν συντόμως.

Exponet igitur alia quaedam, quae de generibus δημοκρατίας aliarumque civitatum reliqua sunt, et proprios unicuique attribuet τρόπους.

Varia autem rerum publicarum genera etiam ita conformare vult, ut τρόποις utantur partim propriis partim alienis.

Simul perspicuum fore dicit, et quae sit civitatis forma maxime idonea eaque quomodo efficiatur. Sed de his rebus omnibus breviter (συντόμως).

Primum igitur dicturus est de δημοκρατίᾳ; simul autem planum fore ait, quomodo constituatur ὀλιγαρχία, quae illi sit contraria. Hanc autem quaestionem ita exorditur, ut quae sunt δημοκρατίας propria colligat omnia cap. II. His vero aliter compositis, aliam evadere demonstrat δημοκρατίας formam. Deinde inseritur caput III. de aequabilitate iustitiaque, quam sibi δημοκρατία fingit et ὀλιγαρχία. Iam vero capite V. optima δημοκρατία quae sit disquiritur, et quibus legibus temperanda sit. Namque eius magistratus eligendi sunt pro virtute et copiis (ἀριστοκρατικῶς et ὀλιγαρχικῶς). Deinceps Aristoteles de secundo et tertio ἀριστοκρατίας genere disputat et de quarto constituendo praeclara tradit praecepta. Deinde cap. V. docet, quibus potissimum rebus efficiatur, ut δημοκρατίαι conserventur. Legislatoris enim est non tam describere quam conservare reipublicae statum ac propagare. Haec de δημοκρατίαις.

Iam autem quum sit de condendis ὀλιγαρχίαις dicendum, assumi iubet ea, quae disseruit de δημοκρατίᾳ. Quocirca id tantum agit, ut ea de re rationes et praecepta tradat, quae

sequenda sint et observanda. Ceterum *ὀλιγαρχίας* genus primum legibus moderatur *πολιτικαῖς*. Sed haec hactenus.

Quum autem eum locnm, quem sibi tertium in IV 2. proposuit, brevius explicaverit IV. 12 et 13.: eundem ut pertractet, paucis inquirit, quos ad populos quodque sit *ὀλιγαρχίας* genus aptum et accommodatum. Neque vero nobis id inexspectatum venire potest, quod se facturum in prooemio promisit (*ἅμα* (*ἄλλα*) *τε περὶ ἐκείνων* (*τῶν πολιτειῶν*) *εἴ τι λοιπόν, οὐ χεῖρον ἐπισκέψασθαι*). Denique additis quibusdam de *ὀλιγαρχίας* conservatione praeceptis, huic quidem disputationi finem facit.

Hac igitur concisa institutione Aristoteles viam monstravit, quam legislator secutus non facile poterit errare in describendis *ὀλιγαρχίαις* et *δημοκρατίαις*. Quare hanc disputationem ad finem esse perductam iudicaremus, nisi in IV. 15. i. e. in huius disputationis exordio significasset accuratius se dicturum de *ἀρχαῖς*. Verba haec sunt: *Οἱ μὲν οὖν τρόποι τῶν περὶ τὰς ἀρχὰς τοσοῦτοι τὸν ἀριθμόν εἰσι, καὶ διήρηνται κατὰ τὰς πολιτείας οὕτως· τίνα δὲ τίσι συμφέρει καὶ πῶς δεῖ γίνεσθαι τὰς καταστάσεις ἅμα ταῖς δυνάμεσι τῶν ἀρχῶν καὶ τίνες εἰσίν, ἔσται φανερόν*, Quod idem indicavit verbis iam supra citatis *ἅμα* (*ἄλλα*) *τε περὶ ἐκείνων* (*τῶν πολιτειῶν*) *εἴ τι λοιπόν, οὐ χεῖρον ἐπισκέψασθαι*, Id ipsum autem praestat ultimo libri VI. capite. Quo de singulis magistratibus accurate et distincte exponit quaeritque, quot sint et quales, et qui in unum hominem conferri possint.

§. 66.

De libri VI. integritate.

Quum de libri VI. integritate sit dicendum, de duabus potissimum quaerendum est lacunis. Quarum quidem alteram antecedere, alteram subsequi caput VIII. doctissimi viri efficere conati sunt. Ante caput VIII. desiderari multa, primus contendit Conringius. Cui assenserunt Schneiderus, Schlosserus, Coraës. Examinemus argumenta.

I. Asseveravit igitur Conringius, quem illi quidem secuti sunt, ante cap. VIII. fuisse dicendum de constituendis *πολιτείαις, ἀριστοκρατίαις*, fortasse etiam de *μοναρχίαις*[1]). Cui argumento Goettlingius in praef. p. XXV. opposuit: »Primum (enim) regni unicum est genus de quo expositum in antecedentibus erat, deinde quum de mixtis democratiarum et oligarchiarum rebuspublicis verba fiunt, ab Aristotele aristocratiarum ac politiarum genera ea oratione una comprehenduntur". Quae verba tantum abest, ut Conringianam sententiam refellant, ut ea ipsa refellenda sint ac reiicienda. Sed hanc rem praetermittamus. Accedamus ad pensitandam sententiam Conringii. Primum igitur est de constituenda *πολιτείᾳ* ante disputatum in libri IV. cap. IX. cuius prima quidem verba sunt: *Τίνα δὲ τρόπον γίνεται παρὰ δημοκρατίαν καὶ ὀλιγαρχίαν ἡ καλουμένη πολιτεία κ. τ. λ.* item in cap. IV. (cf. §. 56.). Quid est igitur cur altera sit de *πολιτείᾳ* quaestio suscipienda?

Disputatio autem de *ἀριστοκρατίαις* item eum fugit. Neque enim de vera *ἀριστοκρατίᾳ* hoc loco cogitandum est, quum optimae sit civitatis forma. Quaestio vero de condendis *καλουμέναις ἀριστοκρατίαις* cum ea coniuncta est, quae de *πολιτείᾳ* paulo ante est commemorata. Quod ita esse et res ipsa (Pol. IV. 9. et 11.) comprobat et scriptor testatur. Veluti IV. 9. *Τίνα μὲν οὖν τρόπον δεῖ καθιστάναι πολιτείαν ὁμοίως δὲ καὶ τὰς ὀνομαζομένας ἀριστοκρατίας, νῦν εἴρηται.* et IV. 11. *Καὶ γὰρ ἃς καλοῦσιν ἀριστοκρατίας, περὶ ὧν νῦν εἴπομεν, τὰ μὲν ἐξωτέρω πίπτουσι ταῖς πλείσταις τῶν πόλεων, τὰ δὲ γειτνιῶσι τῇ καλουμένῃ πολιτείᾳ· διὸ περὶ ἀμφοῖν ὡς μιᾶς λεκτέον. Ἡ δὲ κρίσις περὶ ἁπάντων τούτων κ. τ. λ.* cf. Pol. V. 7. *Τὰς γὰρ (πολιτείας) ἀποκλινούσας μᾶλλον πρὸς τὴν ὀλιγαρχίαν ἀριστοκρατίας καλοῦσιν, τὰς δὲ πρὸς τὸ πλῆθος, πολιτείας.* Conringius igitur, quod de *πολιτείᾳ* et *ἀριστοκρατίᾳ* dicendum in libro VI. esse

---

1) cf. Introd. VII. § 31. et annotationem ad VI. 7 finem (sec. Bek.)

putavit, in eo quidem lapsus est. De dominatu autem unius quum eandem quidem sententiam, dubitantur tamen proposuerit, non est quod urgeam. Ceterum huius rei mentio postea facienda est. — Accedit autem, quod Aristoteles in IV. 2., quid sit propositum, accurate definivit: *Μετὰ δὲ ταῦτα τίνα τρόπον δεῖ καθιστάναι τὸν βουλόμενον ταύτας τὰς πολιτείας, λέγω δὲ δ η μ ο κ ρ α τ ί α ς τε καθ' ἕκαστον εἶδος καὶ πάλιν ὀ λ ι γ α ρ χ ί α ς.* De omnibus igitur civitatibus, nullis rebus alienis admiscendis, disputare non potuit. Viros autem doctissimos in errorem induxit libri VI. exordium: *Ἐπεὶ δὲ τετύχηκεν εἴδη πλείω δημοκρατίας ὄντα καὶ τῶν ἄλλων ὁμοίως πολιτειῶν, ἄλλα τε περὶ ἐκείνων εἴ τι λοιπόν, οὐ χεῖρον ἐπισκέψασθαι καὶ τὸν οἰκεῖον καὶ τὸν συμφέροντα τρόπον ἀποδοῦναι πρὸς ἑκάστην.* Quae verba si cum eis contuleris, quibus antea libri VI. consilium est definitum (IV. 2.), male intelligi non poterunt. Quae autem de ceteris civitatibus reliqua sunt, tum cap. VIII. de magistratibus afferuntur tum VII. de eis populis, quibus idonea sunt *ὀλιγαρχίας* genera [1]. Ac de hoc argumento satis ut arbitror dictum est.

II. De altera lacuna apud Conringium (in ann. ad VI. 7.) leguntur haec: »(Huius) appendix praeter alia videtur esse doctrina de magistratibus (VI. 8.): quam *praecessit indubie doctrina de consilio et summa potestate, et subsecuta est doctrina de iudiciis.* Quae itidem perierunt. Praemissa autem haec fuerunt doctrinae de mixtis rebuspublicis, quod mixtio omnis consistat in varia trium horum constitutione [2])«.

1) Totum librum VI. complecti additamenta, Göttlingii aliorumque sententia est. Quae vera sit an falsa, ex eo liquet, quod de libro isto dictum est.

2) In eadem sententia esse video Spengelium (Ueber die Pol. des Arist. p. 41 et 42.): »Nach der Anwendung der Demokratie und Oligarchie wird Kap. 8. von den Regierungsbehörden gesprochen mit den Einleitungsworten: *Ἀκόλουθον δὲ τοῖς εἰρημένοις ἐστὶ τὸ διῃρῆσθαι καλῶς τὰ περὶ τὰς ἀρχάς, πόσαι καὶ τίνες καὶ τίνων, καθάπερ*

Sed de concilio s. de summa potestate (*βουλευομένῳ κυρίῳ*) et de iudicio (*δικαστικῷ*) cur Aristoteles iterum dicturus sit, idoneam rationem me afferre nullam posse fateor. Quibus de rebus disputationem ad finem perductam esse video. At vero quaestionem de magistratibus (*ἀρχαῖς*) absolvere apte nec potuit nec voluit. cf. Pol. IV. 15. *Ἀλλὰ περὶ μὲν τούτων ἐπὶ τοσοῦτον εἰρήσθω νῦν, περὶ δὲ τὰς τῶν ἀρχῶν καταστάσεις πειρατέον ἐξ ἀρχῆς διελθεῖν*, et s. f. *Οἱ μὲν οὖν τρόποι τῶν περὶ τὰς ἀρχὰς τοσοῦτοι τὸν ἀριθμόν εἰσι, καὶ διῄρηνται κατὰ τὰς πολιτείας οὕτως· τίνα δὲ τίσι συμφέρει καὶ πῶς δεῖ γίνεσθαι τὰς καταστάσεις ἅμα ταῖς δυνάμεσι τῶν ἀρχῶν καὶ τίνες εἰσίν, ἔσται φανερόν.* Quare ad disputationem de magistratibus Aristoteli revertendum fuit, ad concilium et iudicium non item.

Iam vero alteram libri sexti partem deesse totam, idem censuit Conringius (in introd. VII. §. 33.). Eam autem fuisse scriptam de conflandis rebuspublicis s. de copulandis *τρόποις* 1). Argumento esse ait Aristotelis consilium (in VI. 1.): *Ἔτι δὲ καὶ τὰς συναγωγὰς αὐτῶν τῶν εἰρημένων ἐπισκεπτέον πάντων τῶν τρόπων· ταῦτα γὰρ συνδυαζόμενα ποιεῖ τὰς πολιτείας ἐπαλλάττειν, ὥστε ἀριστοκρατίας τε ὀλιγαρχικὰς καὶ πολιτείας δημοκρατικωτέρας. Λέγω δὲ τοὺς συν-*

εἴρηται καὶ πρότερον· und die Abhandlung geschlofsen: *Περὶ μὲν οὖν τῶν ἀρχῶν ὡς ἐν τύπῳ σχεδὸν εἴρηται περὶ πασῶν.* An sich mag man dieses daraus erklären, dafs jeder neu eingerichtete Staat seine nothwendigen Behörden haben müsse, aber der Anfang des Buches gibt sowohl darüber, wie über anderes genügenden Aufschlnss. Es sollen nämlich zu den oben gegebenen wichtigsten drei Staatsbehörden noch einzelne Erklärungen nachgeliefert werden. Das Vorhandene ist nur ein Theil davon die *ἀρχαὶ* betreffend; ich zweifle nicht, dafs auch von dem *βουλευόμενον* und *δικαστικὸν* auf ähnliche Weise gesprochen war" etc.

1) Verbum *τρόποι* non intelligendum est de reipublicae *τάξει* s. *κατασκευῇ* (cf. Conring. l. c.). Quid significet, discas ex ultimis libri IV. capitibus.

δυασμούς , οὓς δεῖ μὲν ἐπισκοπεῖν , οὐκ ἐσκεμμένοι δ'εἰσὶ νῦν, οἷον ἂν τὸ μὲν βουλευόμενον καὶ τὸ περὶ τὰς ἀρχαιρεσίας ὀλιγαρχικῶς κ. τ. λ. Quod consilium Aristoteles secutus est in VI. 4., ubi de temperanda optima *δημοκρατίᾳ* haec scripsit:

Ἔτι δὲ τὸ κυρίους εἶναι τοῦ ἑλέσθαι καὶ εὐθύνειν ἀναπληροῖ τὴν ἔνδειαν , εἴ τι φιλοτιμίας ἔχουσιν , ἐπεὶ παρ' ἐνίοις δήμοις , κἂν μὴ μετέχωσι τῆς αἱρέσεως τῶν ἀρχῶν, ἀλλά τινες αἱρετοὶ κατὰ μέρος ἐκ πάντων, ὥσπερ ἐν Μαντινείᾳ , τοῦ δὲ βουλεύεσθαι κύριοι ὦσιν , ἱκανῶς ἔχει τοῖς πολλοῖς. et paulo post:

Διὸ δὴ καὶ συμφέρον ἐστὶ τῇ πρότερον ῥηθείσῃ δημοκρατίᾳ καὶ ὑπάρχειν εἴωθεν , αἱρεῖσθαι μὲν τὰς ἀρχὰς καὶ εὐθύνειν καὶ δικάζειν πάντας , ἄρχειν δὲ τὰς μεγίστας αἱρετοὺς καὶ ἀπὸ τιμημάτων, τὰς μείζους ἀπὸ μειζόνων ἢ καὶ ἀπὸ τιμημάτων μὲν μηδεμίαν, ἀλλὰ τοὺς δυναμένους, et in VI. 5.

Ἔτι δὲ τὰς ἀρχὰς πάσας ἐποίησαν διττάς, τὰς μὲν αἱρετὰς τὰς δὲ κληρωτάς , τὰς μὲν κληρωτὰς ὅπως ὁ δῆμος αὐτῶν μετέχῃ , τὰς δὲ αἱρετὰς ἵνα πολιτεύωνται βέλτιον.

His autem locis eum illud quod propositum erat perfecisse, equidem dicere non ausus sim. Quapropter totam rem in medio relinquo.

De quattuor quidem locis iam est disputatum; restat igitur

V.

Τέλος δέ , πάντων τούτων ὅταν ποιησώμεθα συντόμως τὴν ἐνδεχομένην μνείαν , πειρατέον ἐπελθεῖν τίνες φθοραὶ καὶ τίνες σωτηρίαι τῶν πολιτειῶν καὶ κοινῇ καὶ χωρὶς ἑκάστης , καὶ διὰ τίνας αἰτίας ταῦτα μάλιστα γίνεσθαι πέφυκεν (lib. V.).

§. 67.

Primis quidem libri V. verbis Aristoteles hunc locum distribuit in partes quattuor:

I. *ἐκ τίνων (δὲ) μεταβάλλουσιν αἱ πολιτεῖαι καὶ πόσων καὶ ποίων,*

II. (*καὶ*) *τίνες ἑκάστης πολιτείας φθοραί, καὶ ἐκ ποίων εἰς ποίας μάλιστα μεθίστανται,*

III. (*ἔτι δὲ*) *σωτηρίαι τίνες καὶ κοινῇ καὶ χωρὶς ἑκάστης εἰσίν,*

IV. (*ἔτι δὲ*) *διὰ τίνων ἂν μάλιστα σώζοιτο τῶν πολιτειῶν ἑκάστη.*

Exorditur autem totam disputationem ita, ut seditionum omnium et commutationum caput ac fontem investiget i. e. iustum non simpliciter (*δίκαιον ὀλιγαρχικὸν* et *δημοκρατικόν*) (Pol. V. 1.).

I. Quum primum dicendum sit, quibus de causis rerumpublicarum formae commutentur et quot sint et quales, in universum principia colligit et quasi primordia (*ἀρχάς, αἰτίας*) civilium commutationum et vicissitudinum. Sunt autem tria:

a. Quomodo se habeant ei (*πῶς ἔχοντες*), qui seditionem moveant?

b. Quum ob causum (*τίνων ἕνεκεν*)?

c. Quae sint principia (*ἀρχαί*) seditionum et civilium perturbationum?

Qui seditionem moveant et quales, iam cap. I. dictum est. Moliuntur enim seditionem alii, ut ceteris civibus aequent, alii ut praesint. — Cives autem inter se dissident aut lucri (*κέρδους*) aut honoris (*τιμῆς*) aut eorum causa quae eis sunt contraria. — Rerum autem conversionum perturbationumque principia et primordia numerantur septem aut plura. Duo iam commemorata sunt, unde invidia oritur, bona et honores; deinde afferuntur *ὕβρις, φόβος, ὑπεροχή, καταφρόνησις, αὔξησις ἡ παρὰ τὸ ἀναλόγον, ἐριθεία, ὀλιγωρία, μικρότης*. De quibus singulis quum uberius disputatur, tum proferuntur exempla (Pol. V. 2. 3. 4.).

II. Deinceps, ut erat propositum, quaerendum est, civitatium genera quibus rebus depraventur et quos potissimum in rerumpublicarum modos quodque convertatur. Primum igitur *δημοκρατίαι* plerumque perturbantur per eos, qui in

eis rebuspublicis esse solent, aurae popularis captatores (*δημαγωγούς*). Commutantur vero aut in tyrannidem aut in *δημοκρατίαν* deterrimam (V. 5.). Iam autem *ὀλιγαρχίας* status duabus de causis mutatur, aut per populum, quum ab eis qui imperium tenent neglectus et contemptus rebus novis studeat, aut per divites, qui reipublicae praesunt vel praeesse moliuntur. Habet autem *ὀλιγαρχία* perinde ac *δημοκρατία* iter ad statum contrarium et ad deteriorem *ὀλιγαρχίας* speciem praeceps ac lubricum. Denique de *ἀριστοκρατίαις* dicit, multa ex rebus gestis exempla afferens. Quemadmodum autem in libro IV. cum *πολιτείαις* quaestionem coniunxit de constituendis *ἀριστοκρατίαις*: ita hoc loco etiam de *πολιτείας* mutationibus loquitur. Postremo deleri omnes civitates et exstingui docet internis quasi morbis vel etiam externarum nationum opera (V. 9.).

III. Quae sint in universum, et quae singulis rebuspublicis medicinae capite octavo accurate explicat. Primum igitur quum civitates quibus rebus corrumpantur sciamus; scimus etiam quibus conserventur. Deinde in legibus cautum esse vult, ne parvae res mutentur et minutae. Denique multa de hac re et praeclara tradit praecepta (V. 8.).

IV. Reliquum est, ut dicatur, quibus potissimum rebus civitas sana et salva conservetur. Primum igitur edocet, quales esse debeant ei, qui gerere summos velint magistratus. Deinde de mediocritate disserit, quae quidem sit in scribendis legibus tenenda, denique de educatione singulis rerumpublicarum formis accommodata (V. 9.).

Quum quattuor quae erant propositae quaestiones ita institutae et pertractatae sint, non solum disputatio de civitatium interitu et conservatione, verum etiam haec tota pars ad finem perducta esse videtur. Primum enim Aristoteles dinumeravit *ὀλιγαρχίας* species et *δημοκρατίας* et *ἀριστοκρατίας*; deinde quaesivit, eae quibus populis conveniant et quibus *πολιτεία*; tum quommodo constituantur exposuit; ad postremum quibus rebus corrumpantur, qui-

busque conserventur indagavit. Quare de quattuor illis quidem civitatibus nihil reliquum est. At vero in IV. 2. et 8. restare ait, ut etiam de tyrannide disputetur. Etenim de tyrannidis generibus dictum est in ea parte, quae erat de *πολιτείᾳ* et de *ἀριστοκρατίᾳ*. Aliae autem de tyrannide quaestiones, quum non esse aptae viderentur, quae quinque illis huius partis locis aut interponerentur aut insererentur [1]), reservatae sunt ad totius operis finem.

Primum igitur Aristoteles diligenter ea conquirit, quibus tyrannis et regnum depraventur aut omnino deleantur. Quod quidem ita instituit, ut simul demonstret, unde reipublicae genera illa oriantur, et quem propositum habeant finem. Deinde sequitur de *μοναρχίαις* conservandis propogandisque disputatio, subtile scientiae rerum civilium specimen. Denique de tyrannidis tempore et brevitate dicit, totamque hanc disputationem ita finit, ut accurate examinet Platonis sententiam de flexibus rerumpublicarum et commutationibus.

§. 68.

De libri V. integritate.

In V. 3. Conringius asteriscos anteposuit verbis: *Στασιωτικὸν δὲ καὶ τὸ μὴ ὁμόφυλον, ἕως ἂν συμπνεύσῃ· ὥσπερ γὰρ οὐδ' ἐκ τοῦ τυχόντος πλήθους πόλις γίγνεται, οὕτως οὐδ' ἐν τῷ τυχόντι χρόνῳ. κ. τ. λ.;* annotat autem, Aristotelem ubi de inaequalitate (*ἀνομοιότητι*) disputat praetermisisse locum de divitibus et pauperibus, de bonis et malis. Sed de hac re leguntur in capitis III. fine haec: *Μεγίστη μὲν οὖν ἴσως διάστασις ἀρετὴ καὶ μοχθηρία, εἶτα πλοῦτος καὶ πενία κ. τ. λ.* et in cap. IV. *Κινοῦνται δ' αἱ πολιτεῖαι καὶ ὅταν τ' ἀναντία εἶναι δοκοῦντα μέρη τῆς πόλεως ἰσάζῃ ἀλλήλοις, οἷον οἱ πλούσιοι καὶ ὁ δῆμος, μέσον δ' ᾖ μικρὸν ἢ μηθὲν πάμπαν· ἂν*

---

1) Itaque in totius partis dispositione (IV. 2.) tyrannidis mentio non est.

γὰρ πολὺ ὑπερέχῃ ὁποτερονοῦν τῶν μερῶν πρὸς τὸ φανερῶς κρεῖττον, τὸ λοιπὸν οὐ θέλει κινδυνεύειν. Διὸ καὶ οἱ κατ' ἀρετὴν διαφέροντες οὐ ποιοῦσι στάσιν ὡς εἰπεῖν· ὀλίγοι γὰρ γίγνονται πρὸς πολλούς.

Item in cap. VI. ante enuntiatum *Ἔχει δὲ καὶ ἡ ἐξ ἄλλων (αὐτῶν) ἀρχὴ στάσεως διαφορὰς* Conringius desideravit, „quod responderet eis, quae antecesserunt de duobus modis mutationum *ὀλιγαρχίας*“. Sed cap. VI. ea in animum revocantur, quae sunt in cap. I. *Ἐν μὲν γὰρ ταῖς ὀλιγαρχίαις ἐγγίγνονται δύο, ἥ τε πρὸς ἀλλήλους στάσις καὶ ἔτι ἡ πρὸς τὸν δῆμον.* Quod si Conringius cogitasset, quum ea legeret quae sunt in nostris editionibus: nihil potuisset ultra desiderare.

Iam mentio facienda est de libri V. totiusque operis fine, quo Platonis diiudicatur de rerum mutationibus sententia. Eum enim complures pro mutilo habuerunt interpretes. Primum igitur post verba *Ἔτι δὲ κἂν τιμῶν μὴ μετέχωσιν, κἂν ἀδικῶνται ἢ ὑβρίζωνται, στασιάζουσι καὶ μεταβάλλουσι τὰς πολιτείας, κἂν μὴ δαπανήσωσι τὴν οὐσίαν διὰ τὸ ἐξεῖναι, ὅτι ἂν βούλωνται ποιεῖν· οὗ αἰτίαν τὴν ἄγαν ἐλευθερίαν εἶναί φησιν* esse lacunam suspicati sunt Schneiderus et Coraës. Giffanius delevit haec *διὰ τὸ ἐξεῖναι ..... φησίν·* Bekkerus vero verba *διὰ τὸ ἐξεῖναι ὅτι ἂν βούλονται ποιεῖν* artissime cum praecedentibus coniunxit. Quod quidem ei assensit Stahrius; verba autem *οὗ αἰτίαν τὴν ἄγαν ἐλευθερίαν εἶναί φησιν*, quae interpretum nemo intellexisset, uncis inclusit. Quae quidem verba a Platone de Rep. VIII. p. 564, petita esse putavit Giffanius; isque ea ab Aristotele „torqueri“ ait „ad *ὀλιγαρχίαν*, quum a Platone de *δημοκρατίᾳ* dicta sint.“ Sed recte mea quidem sententia se habent omnia. Sermo est enim de altero seditionum genere quas in *ὀλιγαρχίᾳ* ei quidem movent qui obtemperant (*δῆμος*, non *ὀλίγοι* qui imperant). Quare verba illa *οὗ αἰτίαν τὴν ἄγαν ἐλευθερίαν εἶναί φησιν*, quamvis de *δημοκρατίᾳ* a Platone in libro de Rep. VIII. p. 555. (non in 564.) dicta sint, ad eos qui in

ὀλιγαρχίᾳ parent i. e. ad *δῆμον* referri summo iure potuerunt.

Ad postremum de ea lacuna dicendum est, quam viri eruditi in fine huius libri esse statuerunt. Primus quidem exstitit Conringius, qui ex eo, quod „haec disputatio non finiretur sueto Aristotelis more, quaedam deesse“ collegit. Sed omnia quae in hoc libro vel in hac parte explicavit Aristoteles si uno enunciato, ut assolet, comprehendisset: quid eiusmodi fine ieiunius, quid minus elegans posset cogitari? Hoc igitur argumento infirmius esse vix ullum potest, nisi forte id quod sequitur. „Non tamen vero in opere de republica sed etiam in aliis libris de mutationibus rerumpublicarum disseruit Plato et quidem haud paulo aliter, itidem tamen minus bene. Itaque forte et illa sub examen ab Aristotele vocata sunt.“ Neque vero eiusdem fere argumenti puduit Schneiderum. Qui quidem excidisse multa suspicatur, quibus Platonis sententias Aristoteles exemplis rationibusve refutasset. At *ὀλιγαρχίαν* commutari in *δημοκρατίαν*, rationibus multis et exemplis paulo ante comprobatum est. Ceterum nec Conringius nec Schneiderus suspicati esse videntur, cur haec instituta sit de Platone disputatio. Voluit enim scriptor eum ipsum libri V. esse epilogum. Certe id potius egit, ut idoneum scriberet epilogum quam ut sententias Platonis aut examinaret aut refutaret. Quod si fecisset, ultra epilogi fines progressus, conscripsisset vel disputationem vel librum. Et profecto illo quidem epilogo quid elegantius, quid aptius? An casu et fortuito factum esse iudicaverim, ut qua de re esset in Politicorum exordio (II. 1—7.) disputatum, ad eandem rediret et prioris partis (VIII. 7. cf. §. 56.), et totius operis epilogus? Tribus enim illis locis in disceptationem veniunt Platonis vel, ut ait Aristoteles, Socratis sententiae. Neque vero Aristoteles temere ad primum huius partis locum reverti (cf. §. 58.) videtur, extremis quidem verbis *πλειόνων δ᾽οὐσῶν ὀλιγαρχιῶν καὶ δημοκρατιῶν, ὡς μιᾶς οὔσης ἑκατέρας*

λέγει τὰς μεταβολὰς ὁ Σωκράτης. Neque Socratis nomen in totius operis fine collocatum est sine consilio.

Iam autem de totius libri integritate si quaerimus, primam disputationem quam fecit quadripartitam integram esse ex eo apparet, quod partes omnes perfecit ad finemque perduxit. Adiunxit dein quaestionem de unius dominatu. Quam quidem esse mutilam, non dixerim [1].

Ac de libro postremo disputavimus. Neque enim de capitum ordine et dispositione necesse habui dicere. Denique breviter quaeramus

§. 69.

De asteriscis Conringianis.

Quibusdam de locis, quibus asterisci a Conringio adscripti sunt, iam diximus. De locis autem reliquis quae notavi breviter exponere, a fine huius disputationis non alienum duco.

I. Plerumque igitur Conringius verba vel enuntiata deesse suspicatus est, quum aut coniunctionum vim et significationem aut eam rationem non satis exploratam haberet, quam in copulandis sententiis Aristoteles propriam secutus est et peculiarem. Exempla non deficiunt. Veluti lacunas esse putavit, quum ignoraret usum

1. particulae οὖν (quam Graeci adhibent, si redit oratio unde deflexit), in Pol. I. 1. §. 1 [2]; I. 3. §. 5; I. 5. §. 6; I. 8. §. 15; II. 7. §. 5; in III. 3. §. 17; VII. 17. §. 25; IV. 7. §. 2; IV. 8. §. 14.

---

1) Spengelius in commentatione (Münch. Gel. Anz. l. c.) ita: „Das fünfte (Buch) unvollständig hatte seine Stelle dem sechsten, welchem wenigstens der Schluss fehlt, eingeräumt.“ Qua de re mentionem non fecit in illo quidem libello quem subtiliter scripsit de Arist. Pol.

2) In hac §. Conringii editionem sequor, quam edidit Goebelius (Brunsvigae 1730.), quippe in qua loci asteriscis notati quam in Bekkerlana facilius inveniantur.

2. item particulae *διό*, in I. 6. §. 14; III. 3. §. 21; III. 4. §. 11; III. 9. §. 12; VIII. 5. §. 38; V. 1. §. 9. et §. 21.

3. particulae *διόπερ*, in I. 4. §. 5; II. 1. §. 9; III. 1. §. 18; IV. 13. §. 17.

4. coniunctionis *τοίνυν*, in I. 8. §. 19; III. 4. §. 13; III. 5. §. 11.; vel quum non satis assecutus esset quaenam subesset vis

5. coniunctioni *ὥστε*, in I. 4. §. 10; I. 6. §. 16; III. 12. §. 13.

6. voculae *καίτοι*, in VII. 2. §. 18.

7. verbo *τοὐντεῦθεν*, in III. 3. §. 18.

8. vocibus *οὐ μὴν ἀλλά*, in VIII. 5. §. 24. et §. 33.

9. verbis *ἀλλὰ μήν*, in III. 11. §. 10.

10. coniunctioni *ἀλλά*, in III. 1. §. 9. et §. 20; VI. 4. §. 4; VII. 2. §. 20.

11. voculae *δή*, in III. 1. §. 22; III. 3. §. 12. et §. 25.

12. particulis *ἐπεὶ δέ*, in VIII. 3. §. 18; cf. II. 1. §. 10; II. 4. §. 12.

13. coniunctioni *δέ*, in III. 3. §. 39. et §. 40; III. 11. §. 11; III. 12. §. 17. et §. 36; VIII. 3. §. 17; VIII. 3. §. 30; IV. 10. §. 6. (ubi dinumerantur res variae non admodum inter se coniunctae).

14. particulae *γάρ*, in III. 7. §. 8; IV. 11. §. 2; V. 1. §. 16. et §. 17; V. 7. §. 10.

15. In errorem eo quoque inductus est, quod verbis *μὲν οὖν* semper opponi *δὲ* putavit, in VI. 4. §. 24. (cf. Eth. Nic. X. 10. *πρῶτον μὲν οὖν κ. τ. λ.*).

Conringio id quoque accidit, ut verbis corruptis impediretur, quominus perspiceret sententiarum coniunctionem. E. g. in VII. 7. §. 9., ubi pro *ὅπερ* legit *ὥσπερ* lacunam esse statuit.

Nonnunquam scriptoris sententiam non assecutus acquievit in asteriscis. Eiusmodi loci ante pedes positi sunt: III. 3. §. 19. et §. 41; III. 1. §. 29; III. 5. §. 13; III. 8. §. 27; VII. 14. §. 10. et §. 29; VIII. 3. §. 15; VIII. 5. §. 32; VIII. 6. §. 20; IV. 6. §. 3; IV. 13. §. 9. sqq.; V. 6. §. 2. Ac de asteriscis Conringianis diximus.

EPILOGUS.

§. 70.

Huius libelli summam ut paucis complectar, id mihi demonstrasse videor, Ethica et Politica unius esse eiusdemque operis partes. Quarum alterâ politices finis qualis sit ita quaeritur, ut bonum humanum illustretur triplex, honestum (τὸ καλόν), id quod conducit (τὸ συμφέρον), iucundum (τὸ ἡδύ). Quem quidem ad finem quomodo homines perveniant, Aristoteles altera dicturus est parte. Quare ultimis Ethicorum verbis quod sit propositum aperit. Quod idem Policorum libris accuratissime persequitur. Oeconomicis enim pertractatis, primum quidem eas quae a philosophis fictae sunt, deinde quae sunt ex vita hominum sumptae, examinat civitates. Tum quae sit optima respublica, libris III. docet, VII. et VIII. Denique libris IV. VI. V. disserit de reliquis civitatibus omnibus. Etenim ab Aristotele institutum indagavimus librorum ordinem hunc: I. II. III. VII. VIII. IV. VI. V. Sunt autem capita omnia Aristotelea; omnesque libri integri praeter VII. VIII. VI. — Sed in Aristoteleis Politicis dum versor: nescio qui factum sit, ut

Europae populi omnes et principes toto animo et studio omni factitare politicen inciperent. Utinam:

Propinqua haec bene verruncent populo. Nam quod ad dexteram
Coepit cursum ab laeva signum praepotens, pulcherrime
Auguratum est; rem *Germanam* publicam summam fore.

Excursus I.

a) Ab Aristotele non solum Politicorum sed etiam Ethicorum libros inscriptos esse politicos vel πολιτικὴν πραγματείαν.

Argumento sunt:

1. Eth. Nic. I. 1., quod est totius operis (Eth. et Pol.) prooemium; inprimis autem haec quae isti capiti insunt verba: *Ἆρ' οὖν καὶ πρὸς τὸν βίον ἡ γνῶσις αὐτοῦ (τοῦ ἀγαθοῦ καὶ τοῦ ἀρίστου) μεγάλην ἔχει ῥοπήν, καὶ καθάπερ τοξόται σκοπὸν ἔχοντες, μᾶλλον ἂν τυγχάνοιμεν τοῦ δέοντος; Εἰ δ' οὕτω, πειρατέον τύπῳ γε περιλαβεῖν αὐτὸ τί ποτ' ἐστὶ καὶ τίνος τῶν ἐπιστημῶν ἢ δυνάμεων. Δόξειε δ' ἂν τῆς κυριωτάτης καὶ μάλιστα ἀρχιτεκτονικῆς. Τοιαύτη δ' ἡ πολιτικὴ φαίνεται. . . . Ἡ μὲν οὖν μέθοδος τούτων ἐφίεται πολιτική τις οὖσα.*

2. Eth. Nic. I. 2. *Λέγωμεν δ' ἀναλαβόντες, ἐπειδὴ πᾶσα γνῶσις καὶ προαίρεσις ἀγαθοῦ τινὸς ὀρέγεται, τί ἐστιν οὗ λέγομεν τὴν πολιτικὴν ἐφίεσθαι καὶ τί τὸ πάντων ἀκρότατον τῶν πρακτῶν ἀγαθῶν.*

3. ibidem *Ἴσως οὖν ἡμῖν γε ἀρκτέον ἀπὸ τῶν ἡμῖν γνωρίμων. Διὸ δὲ τοῖς ἔθεσιν ἦχθαι καλῶς τὸν περὶ καλῶν καὶ δικαίων καὶ ὅλως τῶν πολιτικῶν ἀκουσόμενον ἱκανῶς.* **cf. Eth. Nic. I. 10; 13;**

4. Eth. Magn. initium *Ἐπειδὴ προαιρούμεθα λέγειν ὑπὲρ ἠθικῶν, πρῶτον ἂν εἴη σκεπτέον τίνος ἐστὶ μέρος τὸ ἦθος. Ὡς μὲν οὖν συντόμως εἰπεῖν οὐκ ἄλλης ἢ τῆς πολιτικῆς εἶναι μέρος. κ. τ. λ.*

5. Rhet. I. 2. *Ὥστε συμβαίνει τὴν ῥητορικὴν οἷον παραφυές τι τῆς διαλεκτικῆς εἶναι καὶ τῆς περὶ τὰ ἤθη πραγματείας, ἣν δίκαιόν ἐστι προσαγορεύειν πολιτικήν.*

Argumenta adscripsi nuda. Virorum harum rerum peritorum de eis sit iudicium.

b) Politicorum libros VIII inscriptos esse περὶ πολιτείας.

Testimonio sunt:

1. ei quidem loci, quos ex Aristotelis scriptis collectos reperies in §. 13.

2. verba Photii s. v. *ἐσχατίαν: ἔσχατον τόπον γῆς ἢ τὰ νομὰς ἔχοντα ὡς καὶ Ἀριστοτέλης ἐν τῷ ἡ περὶ (τῆς) πολιτείας.*

Excursus II.

De Eth. Nic. libri III. capite VIII.

Aristoteles postquam in Eth. Nic. III. primum exposuit, quid sponte agere dicamur, quid inviti, capite VII. multis firmisque rationibus edocet sponte ac voluntate effici non bona solum et honesta, verum etiam inhonesta, improba, turpia. Quam quidem disputationem his finivit verbis:

Εἰ οὖν ὥσπερ λέγεται, ἑκούσιοί εἰσιν αἱ ἀρεταί (καὶ γὰρ τῶν ἕξεων συναίτιοί πως αὐτοί ἐσμεν, καὶ τῷ ποιοί τινες εἶναι τὸ τέλος τοιόνδε τιθέμεθα) καὶ αἱ κακίαι ἑκούσιοι ἂν εἶεν· ὁμοίως γάρ.

Iam vero in nostris editionibus sequuntur ea, quibus omnia quae generatim de virtute disseruit Aristoteles complectitur. Sunt autem haec:

Κοινῇ μὲν οὖν περὶ τῶν ἀρετῶν εἴρηται ἡμῖν τό τε γένος τύπῳ, ὅτι μεσότητές εἰσιν, καὶ ὅτι ἕξεις, ὑφ' ὧν τε γίνονται καὶ ὅτι τούτων πρακτικαὶ καθ' αὑτάς, καὶ ὅτι ἐφ' ἡμῖν καὶ ἑκούσιοι, καὶ οὕτως ὡς ἂν ὁ ὀρθὸς λόγος προστάξῃ.

Quibus verbis continuatur sententia, quae quomodo cum illis coniuncta esset, indagare non potui. Est autem huiusmodi:

Οὐχ ὁμοίως δὲ αἱ πράξεις ἑκούσιοί εἰσι καὶ αἱ ἕξεις· τῶν μὲν γὰρ πράξεων ἀπ' ἀρχῆς μέχρι τοῦ τέλους κύριοί ἐσμεν, εἰδότες τὰ καθ' ἕκαστα, τῶν ἕξεων δὲ τῆς ἀρχῆς, καθ' ἕκαστα δὲ ἡ πρόσθεσις οὐ γνώριμος, ὥσπερ ἐπὶ τῶν ἀῤῥωστιῶν· ἀλλ' ὅτι ἐφ' ἡμῖν ἦν οὕτως ἢ μὴ οὕτω χρήσασθαι, διὰ τοῦτο ἑκούσιοι.

Tum de singulis virtutibus disputaturus Aristoteles ita exorditur:

Ἀναλαβόντες δὴ (δὲ) περὶ ἑκάστης εἴπωμεν τίνες εἰσὶ καὶ περὶ ποῖα καὶ πῶς. ἅμα δ' ἔσται δῆλον καὶ πόσαι εἰσίν.

Sed quid significant pronomina *ἑκάστης, τίνες, πόσαι*? Actionesne (*πράξεις*) an habitus (*ἕξεις*)? De quibus quum dicatur praecedente enuntiato, sane cogitandum est. Sed neutra apta sunt ad sententiam. De virtute enim quum *in universum* ante dixerit, *separatim* de singulis virtutibus hoc loco disputationem est ingressurus. Quod si ita est, ad pronomina *ἑκάστης, τίνες* et *πόσαι* pertinent voces *ἀρετῆς* et *ἀρεταί*. Ergo non ad proximam sed ad superiorem referenda sunt comprehensionem. Huc accedit, quod ea quae a verbis *οὐχ ὁμοίως* orditur sententia cum antecedente omnino non cohaeret. Quare facile adducor, ut eam locum alienum occupasse arbitrer. Legendum est autem hoc modo: *Κοινῇ μὲν οὖν . . . . . λόγος προστάξῃ. Ἀναλαβόντες δὴ περὶ ἑκάστης κ. τ. λ.*

Secundo autem enuntiato transposito, tertium ad primum accedit, quo nihil aptius. Etenim tertium illud quidem enuntiatum illustrat verba quae praecedunt non admodum perspicua: *καὶ γὰρ τῶν ἕξεων συ-*

ναίτιοί πως αὐτοί ἐσμεν, καὶ τῷ ποιοί τινες εἶναι τὸ τέλος τοιόνδε τιθέμεθα. **Subiungitur autem mea quidem sententia, percommode verbis ultimis** *καὶ αἱ κακίαι ἑκούσιοι ἂν εἶεν· ὁμοίως γάρ.* **Sic igitur sententias continuo:**

Εἰ οὖν ὥσπερ λέγεται, ἑκούσιοί εἰσιν αἱ ἀρεταί (καὶ γὰρ τῶν ἕξεων συναίτιοί πως αὐτοί ἐσμεν, καὶ τῷ ποιοί τινες εἶναι τὸ τέλος τοιόνδε τιθέμεθα) καὶ αἱ κακίαι ἑκούσιοι ἂν εἶεν· ὁμοίως γάρ. Οὐχ ὁμοίως δὲ αἱ πράξεις ἑκούσιοί εἰσι καὶ αἱ ἕξεις· τῶν μὲν γὰρ πράξεων ἀπ' ἀρχῆς μέχρι τοῦ τέλους κύριοί ἐσμεν, εἰδότες τὰ καθ' ἕκαστα, τῶν ἕξεων δὲ τῆς ἀρχῆς, καθ' ἕκαστα δὲ ἡ πρόσθεσις οὐ γνώριμος, ὥσπερ ἐπὶ τῶν ἀῤῥωστιῶν. ἀλλ' ὅτι ἐφ' ἡμῖν ἦν οὕτως ἢ μὴ οὕτω χρήσασθαι, διὰ τοῦτο ἑκούσιοι.

Κοινῇ μὲν οὖν περὶ τῶν ἀρετῶν εἴρηται ἡμῖν τό τε γένος τύπῳ, ὅτι μεσότητές εἰσιν, καὶ ὅτι ἕξεις, ὑφ' ὧν τε γίνονται καὶ ὅτι τούτων πρακτικαὶ καθ' αὑτάς, καὶ ὅτι ἐφ' ἡμῖν καὶ ἑκούσιοι, καὶ οὕτως ὡς ἂν ὁ ὀρθὸς λόγος προστάξῃ.

Ἀναλαβόντες δὴ (δὲ) περὶ ἑκάστης εἴπωμεν τίνες εἰσὶ καὶ περὶ ποῖα καὶ πῶς. ἅμα δ' ἔσται δῆλον καὶ πόσαι εἰσίν.

Excursus III.

Eiecta disputatione quae est de voluptate in Eth. Nic. VII., eius in locum substituendam esse quaestionem quae in nostris editionibus de immanitate (θηριότητι) legitur in VII. 6: Ἐπεὶ δ' ἐστὶν ἔνια μὲν ἡδέα φύσει καὶ τούτων τὰ μὲν ἁπλῶς — — — — ἁπλῶς δὲ ἡ κατὰ τὴν ἀνθρωπίνην ἀκολασίαν μόνη.

I. Eth. Nic. VII. 1.

*Ἀλλὰ περὶ μὲν τῆς τοιαύτης (θηριώδους) διαθέσεως **ὕστερον** ποιητέον τινὰ μνείαν, περὶ δὲ κακίας εἴρηται πρότερον· **περὶ δὲ ἀκρασίας καὶ μαλακίας καὶ τρυφῆς** λεκτέον καὶ περὶ **ἐγκρατείας καὶ καρτερίας.*** **Quae quidem disputatio ita concluditur VII. 11.** *Τί μὲν οὖν ἐστὶν ἐγκράτεια καὶ τί ἀκρασία καὶ τί καρτερία καὶ τί μαλακία, καὶ πῶς ἔχουσιν αἱ ἕξεις αὗται πρὸς ἀλλήλας, εἴρηται.* **Mediam autem in rem inseritur quaestio de immanitate.**

II. Eth. Nic. VII. 4.

a) *Πρῶτον μὲν οὖν σκεπτέον πότερον εἰδότες ἢ οὔ, καὶ πῶς εἰδότες.*

b) *εἶτα περὶ ποῖα τὸν ἀκρατῆ καὶ τὸν ἐγκρατῆ θετέον, λέγω δὲ πότερον περὶ πᾶσαν ἡδονὴν καὶ λύπην ἢ περί τινας ἀφωρισμένας.*

c) *καὶ (περὶ) τὸν ἐγκρατῆ καὶ τὸν καρτερικόν, πότερον ὁ αὐτὸς ἢ ἕτερός ἐστιν.*

d) *ὁμοίως δὲ καὶ περὶ τῶν ἄλλων ὅσα συγγενῆ τῆς θεωρίας ἐστὶ ταύτης.*

Primae quidem quaestionis finis | est VII. 5.: *Περὶ μὲν οὖν τοῦ*

εἰδότα καὶ μή, καὶ πῶς εἰδότα ἐνδέχεται ἀκρατεύεσθαι, τοσαῦτα εἰρήσθω. **Alteram quaestionem Aristoteles statim exorditur cap. VI.** *Πότερον δ'ἐστί τις ἁπλῶς ἀκρατὴς ἢ πάντες κατὰ μέρος, καὶ εἰ ἔστι, περὶ ποῖά ἐστι, λεκτέον ἐφεξῆς.* **eamque concludit in cap. VII.** *Ὡς μὲν τοίνυν αἴσχιων ἡ περὶ ἐπιθυμίας ἀκρασία τῆς περὶ τὸν θυμόν, καὶ ὅτι ἔστιν ἡ ἐγκράτεια καὶ ἡ ἀκρασία περὶ ἐπιθυμίας καὶ ἡδονὰς σωματικάς, δῆλον.* **Quid est igitur, quod huic quaestioni locus interponatur de immanitate** *Ἐπεὶ δ'ἐστὶν ἔνια μὲν ἡδέα φύσει, καὶ τούτων τὰ μὲν ἁπλῶς . . . . κατὰ τὴν ἀνθρωπίνην ἀκολασίαν μόνη.*

III. Verbis praecedentibus Eth. Nic. VII. 6.:

δῆλον ὅτι κἀκεῖ ὑποληπτέον μόνην ἀκρασίαν καὶ ἐγκράτειαν εἶναι, ἥτις ἐστὶ περὶ ταὐτὰ τῇ σωφροσύνῃ καὶ τῇ ἀκολασίᾳ, περὶ δὲ θυμὸν καθ' ὁμοιότητα λέγομεν· διὸ καὶ προστιθέντες ἀκρατῆ θυμοῦ ὥσπερ τιμῆς καὶ κέρδους φαμέν.

neque initium illius quidem loci de immanitate:

Ἐπεὶ δ'ἐστὶν ἔνια μὲν ἡδέα φύσει, καὶ τούτων τὰ μὲν ἁπλῶς; τὰ δὲ κατὰ γένη καὶ ζῴων καὶ ἀνθρώπων, τὰ δ'οὐκ ἔστιν ἀλλὰ τὰ μὲν διὰ πηρώσεις τὰ δὲ δι' ἔθη γίνεται, τὰ δὲ διὰ μοχθηρὰς φύσεις, ἔστι καὶ περὶ τούτων ἕκαστα παραπλησίας ἰδεῖν ἕξεις.

IV. convenit, neque eius finis:

Ὥσπερ οὖν καὶ μοχθηρία ἡ μὲν κατ' ἄνθρωπον ἁπλῶς λέγεται μοχθηρία, ἡ δὲ κατὰ πρόσθεσιν , ὅτι θηριώδης ἢ νοσηματώδης, ἁπλῶς δ' οὔ, τὸν αὐτὸν τρόπον δῆλον ὅτι καὶ ἀκρασία ἐστὶν ἡ μὲν θηριώδης ἡ δὲ νοσηματώδης, ἁπλῶς δὲ ἡ κατὰ τὴν ἀνθρωπίνην ἀκολασίαν μόνη.

verbis sequentibus VII. 7.:

Ὅτι μὲν οὖν ἀκρασία καὶ ἐγκράτειά ἐστι μόνον περὶ ἅπερ ἀκολασία καὶ σωφροσύνη, καὶ ὅτι περὶ τὰ ἄλλα ἐστὶν ἄλλο εἶδος ἀκρασίας, λεγόμενον κατὰ μεταφορὰν καὶ οὐχ ἁπλῶς , δῆλον· ὅτι δὲ καὶ ἧττον αἰσχρὰ ἀκρασία ἡ τοῦ θυμοῦ ἢ ἡ τῶν ἐπιθυμιῶν , θεωρήσωμεν.

V. Est vero capitis VII. initium (cf. IV. *Ὅτι μὲν κ. τ. λ.*) **aptissimum ad ea verba, quae, eo quidem de quo dicimus loco electo, praecedunt (cf. III.** *δῆλον ὅτι κ. τ. λ.*).

VI. Eth. Nic. VII. 7.

Ὥσπερ γὰρ εἴρηται κατ' ἀρχῆς αἱ μὲν ἀνθρωπικαί εἰσι καὶ φυσικαί, καὶ τῷ γένει καὶ τῷ μεγέθει, αἱ δὲ θηριώδεις κ. τ. λ. **Quid est, cur illius quidem loci de immanitate mentio non fiat.**

VII. Quotiescunque res tractatae inde a cap. VII. usque ad XII. comprehenduntur, nunquam disputatio de immanitate commemoratur.

Quae quum ita sint, quaestionem de immanitate in huius libri fine reposuerim.

Excursus IV.

De verbis quae sunt in Pol. I. 6. Ὅτι μὲν οὖν ἔχει τινὰ λόγον ἡ ἀμφισβήτησις, καὶ οὐκ εἰσὶν οἱ μὲν φύσει δοῦλοι οἱ δ' ἐλεύθεροι, δῆλον· καὶ ὅτι ἔν τισι διώρισται τὸ τοιοῦτον, ὧν συμφέρει τῷ μὲν τὸ δουλεύειν τῷ δὲ τὸ δεσπόζειν, καὶ δίκαιον, καὶ δεῖ τὸ μὲν ἄρχεσθαι τὸ δ' ἄρχειν, ἣν πεφύκασιν ἀρχὴν ἄρχειν, ὥστε καὶ δεσπόζειν.

Huius enuntiati initium Goettlingius ita mutavit: ὅτι μὲν οὐκ ἔχει τινὰ λόγον ἡ ἀμφισβήτησις καὶ εἰσὶν οἱ μὲν κ. τ. λ. Sed primum offendunt οὐκ ἔχει τινά. Deinde ferri sententia ipsa haudquaquam potest. In initio enim capitis VI. Aristoteles concessit, quodammodo recte dicere eos, qui non natura servos sed lege esse affirmarent (οἱ τἀναντία φάσκοντες τρόπον τινὰ λέγουσιν ὀρθῶς). In fine autem eiusdem capitis, ubi totam de servis disputationem concludit, si illorum sententiam omni prorsus ratione carere diceret (ὅτι μὲν οὐκ ἔχει τινὰ λόγον κ. τ. λ.), qui sibi constaret non video. Iam vero quod ante verba εἰσὶν οἱ μὲν illud οὐκ eiecit, meram effecit ταυτολογίαν, quae excusari nullo modo potest. Neque enim eis quidem quae sequuntur verbis καὶ ὅτι ἔν τισι διώρισται τὸ τοιοῦτον κ. τ. λ. aliud quidquam significatur, nisi natura esse alios servos, liberos alios. Ad naturam enim pertinet illud διορίζειν non ad legem. Nam lege si διορισμὸς iste effectus esset, nunquam eis qui parent iustum esset et utile ut servirent. — Probabilius id quidem esse videtur, quod coniecit Muretus (Var. Lect. XV. 12.) ἡ ἀμφισβήτησις καὶ εἰσὶ καὶ οὐκ εἰσὶν οἱ μὲν κ. τ. λ. Quod mihi quidem non displiceret, nisi verba prorsus integra esse arbitrarer. Etenim illud οἱ μὲν eis de servis accipiendum est, qui sive iusto bello victi sive iniusto, lege in servitutem rediguntur de quibus capite hoc quaestio fuit. Significantur autem verbis οἱ δὲ victores sive virtute sive potentia. Quare Germanice verba ita interpretatus sim: dass nun jene Widerrede einigen Grund für sich hat, und dafs nicht die einen (so schlechthin) von Natur Sclaven sind, die andern Freie, ist einleuchtend.

Sed alteri huius comprehensionis parti mendum quoddam inest, quod quomodo viros criticos fugere potuerit omnes, per mihi mirum videtur. Quid enim sibi vult pronomen generis neutrius τὸ μὲν (ἄρχεσθαι) τὸ δὲ (ἄρχειν)? Neque vero ignoro Aristotelem τὸ ἄρχον et τὸ ἀρχόμενον usurpare de hominibus. Sed hoc loco leges grammaticae postulant, ut τὸ μέν, τὸ δὲ et verba quae praecedunt τῷ μέν, τῷ δέ, ἔν τισι unius eiusdemque sint generis. Ἔν τισι autem significare »in quibusdam hominibus« et per se perspicuum est, et ex eo licet intelligi, quod praeposita sunt pronomina οἱ μέν, οἱ δέ. Huc accedit, quod πε-

φύκασι non quadrat ad subiectum neutrius generis, quamvis pluraliter dictum. Quibus rationibus ad eam sententiam adducor, ut *τὸν* pro *τὸ* scribendum esse censeam; hoc modo: *καὶ δεῖ τὸν μὲν ἄρχεσθαι, τὸν δὲ ἄρχειν κτλ.* Nisi forte ita scribendum est: *ὧν συμφέρει τοῖς μὲν τὸ δουλεύειν τοῖς δὲ τὸ δεσπόζειν, καὶ δίκαιον καὶ δεῖ τοὺς μὲν ἄρχεσθαι τοὺς δ' ἄρχειν.*

Excursus V.

De duobus locis, qui sunt in Pol. II. 6.

In Pol. II 6. duo insunt loci, quorum quidem alterum Goettlingius mea quidem sententia non recte est interpretatus, alterum coniecturis vexavit. Unus est:

Μᾶλλον δὲ δεῖν ὑπολάβοι τις ἂν ὡρίσθαι τῆς οὐσίας τὴν τεκνοποιίαν, ὥστε ἀριθμοῦ τινὸς μὴ πλείονα γεννᾶν· τοῦτο δὲ τιθέναι τὸ πλῆθος ἀποβλέποντα πρὸς τὰς τύχας, ἂν συμβαίνῃ τελευτᾶν τινὰς τῶν γεννηθέντων καὶ πρὸς τὴν τῶν ἄλλων ἀτεκνίαν. Τὸ δ' ἀφεῖσθαι, καθάπερ ἐν ταῖς πλείσταις πόλεσιν, πενίας ἀναγκαῖον αἴτιον γίνεσθαι τοῖς πολίταις, ἡ δὲ πενία στάσιν ἐμποιεῖ καὶ κακουργίαν. Verbum *ἀφεῖσθαι* Goettlingius de coloniis mittendis intellexit adductus quidem Platonis verbis, quae sunt in Legg. V. p. 740. de *ἐκπομπῇ ἀποικιῶν*. At vero Aristoteles, ubi de coloniis deducendis dicit non verbo utitur *ἀφιέναι* sed *ἐκπέμπειν* (cf. II. 11. s. fin.). Sed si largimur Aristotelem illo quidem verbo ita uti, tamen medio ea subesse significatio nunquam potest. Semper enim *ἀφίεσθαι* idem valet, quod nostrum „frei-, loslafsen«. Sed ne utar in re non dubia argumentis non necessariis, *τὸ δὲ ἀφεῖσθαι* idem valet quod „liberûm procreationem liberam relinquere, non vincire legibus«.

Alterius loci verba apud Bekkerum ita leguntur: *ὀλιγαρχικὴν δὲ ποιεῖ καὶ τὴν τῆς βουλῆς αἵρεσιν· αἱροῦνται μὲν γὰρ πάντες ἐπάναγκες, ἀλλ' ἐκ τοῦ πρώτου τιμήματος, εἶτα πάλιν ἴσους ἐκ τοῦ δευτέρου· εἶτ' ἐκ τῶν τρίτων. Πλὴν οὐ πᾶσιν ἐπάναγκες ἦν τοῖς ἐκ τῶν τρίτων ἢ τετάρτων, ἐκ δὲ τοῦ τετάρτου τῶν τετάρτων μόνοις ἐπάναγκες τοῖς πρώτοις καὶ τοῖς δευτέροις.*

Ita prorsus in codicibus omnibus; nisi quod Laurentianus (81[b]) pro *μὲν γὰρ* exhibet *δέ*. Goettlingius autem edidit haec: *εἶτ' ἐκ τῶν τρίτων· πλὴν οὐ πᾶσιν ἐπάναγκες, πλὴν τοῖς ἐκ τῶν τριῶν· ἐκ δὲ τοῦ τετάρτου τῶν τεττάρων μόνον ἐπάναγκες τοῖς πρώτοις καὶ τοῖς δευτέροις.* Quam quidem coniecturam felicissimam Stahrius in verba scriptoris recipere non dubitavit. Sed coniectura felixne sit, videamus. Primum enim non potest non audax vocari. Etenim eiciuntur verba duo *ἢ τετάρτων*, mutantur totidem, *ἦν* et *τρίτων*. Deinde repetitur *πλήν*, quo nihil

magis inelegans. Quodsi autem verba *πλὴν οὐ πᾶσιν ἐπάναγκες, πλὴν τοῖς ἐκ τῶν τριῶν* interpretor Latine: „nisi quod ad eligendum non omnes cogebantur, civibus trium classium exceptis"; tam verbose quam obscure Neque recte quidem. Efficere enim Goettlingius hanc voluit sententiam: „nisi quod ad eligendum non cives cogebantur omnes sed tres classes." Scribendum igitur erat: *πλὴν οὐ πᾶσιν ἐπάναγκες, ἀλλὰ τοῖς ἐκ τῶν τριῶν μόνοις.* Simplicius autem eadem sententia et accuratius conformari poterat ita: „nisi quod non cogebantur cives classis quartae i. e. *πλὴν οὐκ ἐπάναγκες τοῖς ἐκ τοῦ τετάρτου.*" Quae quidem verba, credo, in edititionem aequo iure recipi poterant, atque ea quae recepit Goettlingius. Iam vero consideremus, quae sit grammatica verborum structura: *αἱροῦνται πάντες ἐπάναγκες, ἀλλ' ἐκ . . . εἶτα . . . εἶτα . . . πλὴν οὐ πᾶσιν ἐπάναγκες πλὴν τοῖς ἐκ τῶν τριῶν· ἐκ δὲ κ. τ. λ.* Dativus *πᾶσι, τοῖς* unde pendet? Emendandum erat: *πλὴν οὐ πάντες (αἱροῦνται) ἐπάναγκες πλὴν τῶν ἐκ κ. τ. λ.* Verba Goettlingiana video in tot esse et tantis difficultatibus, ut ea si tutarentur codices omnes, ab Aristotele tamen abiudicanda esse dicerem. Quae quum ita sint. redeundum est ad scripturam codicum.

Primum igitur in medium veniant verba haec:

αἱροῦνται μὲν γὰρ πάντες ἐπάναγκες, ἀλλ' ἐκ τοῦ πρώτου τιμήματος. εἶτα πάλιν ἴσους ἐκ τοῦ δευτέρου.

Particulae *ἀλλ'* notam numeralem ϙ (*ἐνενήκοντα*) substituere voluit Muretus. Is quidem illud enuntiatum non recte se habere sensit. Quid enim sibi vult illud *ἴσους*, quum quot deligant quattuor illae classes ante dictum non sit? Quam difficultatem ut removeret, Muretus verbis numerum istum interponere voluit. Sed id si feceris, novae inde difficultates. Neque enim de eorum qui eliguntur numero hoc loco quaestio est, sed qui eligant quot sint quaeritur, et ex quibus delectus fiat et quomodo. Namque *ex prima* classe eligere ait lege coactos omnes, *ex tertia* coactos trium cives classium; *ex quarta* coactos nullos nisi cives classium duarum. *Ex altera* vero qui eligant et quomodo, certe intelligi non potest ex eis verbis, quae leguntur in codicibus *εἶτα πάλιν ἴσους ἐκ τοῦ δευτέρου.* Quare mihi visa sunt corrupta eoque magis, quo sunt ad emendandum faciliora. Una enim diphthongo correcta, omnia plana sunt et perspicua: *αἱροῦνται μὲν γὰρ πάντες ἐπάναγκες, ἀλλ' ἐκ τοῦ πρώτου τιμήματος· εἶτα πάλιν ἴσως ἐκ τοῦ δευτέρου* deinde item eodem modo (item necessario) ex altera. Quae sententia mirifice confirmatur verbis Platonis, quae sunt in Legum libr. VI. p. 756. *τῇ δὲ ὑστερείᾳ φέρειν ἐκ τῶν δευτέρων κατὰ ταὐτὰ καθάπερ τῇ πρόσθεν* (non *ἴσους* sed *ἴσως*). Sequuntur haec:

εἶτ' ἐκ τῶν τρίτων, πλὴν οὐ πᾶσιν ἐπάναγκες ἦν τοῖς ἐκ τῶν τρίτων ἢ τετάρτων.

Quorum ne literulam quidem mutandam esse censeo. Sententia enim haec est: Dein eodem modo eligunt ex tertia classe nisi quod non cogebantur omnes *unius* classis cives, quae est *aut tertia aut quarta*. Illa quidem verba nescio quantam Aristotelis produnt diligentiam et accurationem. Ita enim Plato l. c.: τρίτῃ δ' ἐκ τῶν τρίτων τιμημάτων φέρειν μὲν τὸν βουλόμενον, ἐπάναγκες δὲ εἶναι τοῖς τῶν τριῶν τιμημάτων[1]). Ex verbis τοῖς τῶν τριῶν τιμημάτων effici non potest, quae sint tres eae quidem classes, quae ad eligendum cogantur. Sintne I. II. III., an I. II. IV. Nam de classibus I. III. IV. aut de II. III. IV. cogitari non potest, quippe quum I. et II. vel ex IV. classe necessario eligant. Est igitur in incerto, utrum ipsius tertiae an quartae classis cives non necessario eligant ex tertia. Quod quidem quum perspexisset Aristoteles, sic scripsit: εἶτ' ἐκ τῶν τρίτων, πλὴν οὐ πᾶσιν ἐπάναγκες ἦν τοῖς ἐκ τῶν τρίτων ἢ τετάρτων. Quae reliqua sunt, emendavit Goettlingius hoc modo: ἐκ δὲ τοῦ τετάρτου τῶν τεττάρων (in codd. τετάρτων) μόνοις ἐπάναγκες τοῖς πρώτοις καὶ τοῖς δευτέροις, et ille id quidem recte.

Excursus VI.

De duobus locis, quorum alter est in Pol. III. 5, alter in Oec. II. 4.

Pol. III. 5. Οὐ μὴν ἀλλ' ἐπεὶ δι' ἔνδειαν τῶν γνησίων πολιτῶν ποιοῦνται πολίτας τοὺς τοιούτους (διὰ γὰρ ὀλιγανθρωπίαν οὕτω χρῶνται τοῖς νόμοις) εὐποροῦντες δ' ὄχλου κατὰ μικρὸν παραιροῦνται τοὺς ἐκ δούλου πρῶτον ἢ δούλης, εἶτα τοὺς ἀπὸ γυναικῶν, τέλος δὲ μόνον τοὺς ἐξ ἀμφοῖν αὐτῶν πολίτας ποιοῦσιν. Verba ita prorsus in codicibus omnibus leguntur nec aliter lecta sunt a vetere interprete. Pro αὐτῶν vero Schneiderus, Coraës, Bekkerus facili coniectura substituerunt ἀστῶν. Stahrius codicum quidem scripturam retinuit, neque tamen ullo eam argumento defendit. Quod ego iam sum conaturus. Plane igitur eadem scriptura est in Oec. II. 4. Ὄντος δὲ νόμου αὐτοῖς μὴ εἶναι πολίτην, ὃς ἂν μὴ ἐξ αὐτῶν ἀμφοτέρων ᾖ. Haec in codicibus omnibus. Bekkerus item pro αὐτῶν edidit ἀστῶν

1) Verba ἐκ τῶν τρίων τιμημάτων non ad τὸν βουλόμενον, sed ad φέρειν referenda esse patet ex enuntiatis antecedentibus: Πρῶτον μὲν ἐκ τῶν μεγίστων τιμημάτων ἅπαντας φέρειν. Non primae classis omnes, sed ex prima classe eligere iubet omnium classium cives omnes. Sequuntur enim haec: τῇ δὲ ὑστερείᾳ φέρειν ἐκ τῶν δευτέρων τιμημάτων. —

Utroque autem loco codices corruptos esse omnes, non est probabile. Praeterea eo loco qui est in Oec. quum eidem pronomine αὐτῶν significentur, qui pronomine αὐτοῖς: necesse est αὐτῶν reservetur. Huc accedit, quod in Oeconomicis propter sententiae perspicuitatem non ἀστῶν sed πολιτῶν scribendum erat. Quo quidem verbo Aristoteles in eadem fere sententia utitur In Pol. IV. 4.... ἔτι τὸ μὴ ἐξ ἀμφοτέρων πολιτῶν ἐλεύθερον κἂν εἴ τι τοιοῦτον ἑτέρου πλήθους εἶδος et in Pol. VI. 4.... εἰώθασι.... ποιεῖν πολίτας μὴ μόνον τοὺς γνησίους ἀλλὰ καὶ τοὺς νόθους καὶ τοὺς ἐξ ὁποτερουοῦν πολιτοῦ. Iam autem verbum ἀστοὶ apud Aristotelem fere est inusitatum. In Pol. libris VIII semel legitur. Sed, id quod summi est momenti, pronomen αὐτῶν nihil habet offensionis. Significantur enim eidem, qui ποιοῦνται et παραιροῦνται. Pronominis usum apud Aristotelem latius patere, cognosces ex Pol. II. 5. Ἑτέρων μὲν οὖν ὄντων τῶν γεωργούντων ἄλλος ἂν εἴη τρόπος καὶ ῥάων, αὐτῶν δ'αὐτοῖς διαπονούντων τὰ περὶ τὰς κτήσεις πλείους ἂν παρέχοι δυσκολίας.

Excursus VII.

De verbis Pol. VII. 1. Ἀλλὰ ταῦτα μὲν λεγόμενα ὥσπερ πάντες ἂν συγχωρήσειαν, διαφέρονται δ'ἐν τῷ ποσῷ καὶ ταῖς ὑπεροχαῖς.

Post particulam ὥσπερ aliquid deesse Conringius suspicatus est et Schneiderus. Addiderunt igitur verbum εἰρήκαμεν Lambinus, λέγομεν Schneiderus. Particulam ὥσπερ Victorius idem valere dixit, quod πῶς (aliquo modo); eam in ὡς εἰπεῖν mutare voluit Coraës. Goettlingius librariorum incuria eam putavit repetitam esse ex versu superiore. A quibus omnibus dissensit Stahrius, cuius verba haec: „Est ὥσπερ, cui respondet δέ, loco οὕτως particulae, simile Latinorum loquendi generi: ut — ita s. ut — tamen. ὥσπερ — οὕτως legitur VII. cap. 6. §. 2.“ (sec St.). Quod equidem Stahrio assentiri non possum. Nam particula ὥσπερ, ut cum numeris saepius, ita cum verbo πάντες h. l. coniuncta est. Significat enim ὥσπερ πάντες idem quod ὡς πάντες i. e. „fere omnes.“

Excursus VIII.

De verbis, quae leguntur in Pol. IV. 15.

Τούτων δ'ἑκάστης ἔσονται τῆς διαφορᾶς τρόποι τέσσαρες· Ἢ γὰρ πάντες ἐκ πάντων αἱρέσει, ἢ πάντες ἐκ πάντων κλήρῳ, καὶ ἢ ἐξ ἁπάντων ἢ ὡς ἀνὰ μέρος, οἷον κατὰ φυλὰς καὶ δήμους καὶ φρατρίας, ἕως ἂν διέλθῃ διὰ πάντων τῶν πολιτῶν, ἢ ἀεὶ ἐξ ἁπάντων, καὶ τὰ μὲν οὕτω τὰ δὲ ἐκείνως. Πάλιν εἰ τινὲς οἱ καθιστάντες, ἢ ἐκ πάντων αἱρέσει ἢ ἐκ πάντων κλήρῳ, ἢ ἐκ τινῶν αἱ-

ρέσει ἢ ἐκ τινῶν κλήρῳ, ἢ τὰ μὲν οὕτω τὰ δ'ἐκείνως, λέγω δὲ τὰ μὲν ἐκ πάντων αἱρέσει τὰ δὲ κλήρῳ. Ὥστε δώδεκα οἱ τρόποι γίνονται χωρὶς τῶν δύο συνδυασμῶν.

Aristoteles in Pol. IV. 15. disputat de eligendis magistratibus. Diversos autem esse dicit eligendi modos. Omnes vero differentias (*διαφοράς*) locis (*ὅροις*) inesse tribus, quinam eligant magistratus, ex quibus, quomodo. Trium locorum cuique continentur *διαφοραὶ* tres. Nam magistratus eligunt aut omnes aut quidam aut alios omnes, alios quidam; aut ex omnibus aut ex quibusdam aut partim ex omnibus partim ex quibusdam; aut sorte aut eligendo aut partim sorte partim eligendo.

ὅροι.	*διαφοραί.*			
τίνες;	A. *πάντες.*	B. *τινές.*	*συνδυασμοί.*	C. *τὰ μὲν τινὲς τὰ δὲ πάντες.*
ἐκ τίνων;	a. *ἐκ πάντων.*	b. *ἐκ τινῶν.*		c. *τὰ μὲν ἐκ τινῶν τὰ δ'ἐκ πάντων.*
τίνα τρόπον;	α. *αἱρέσει.*	β. *κλήρῳ.*		γ. *τὰ μὲν αἱρέσει τὰ δὲ κλήρῳ.*

Cuique autem *τῶν διαφορῶν* A. B. C. Aristoteles esse ait *τρόπους* quattuor. Quos ita dinumeravit Goettlingius:

A a α	B a α	C a α
A a β	B a β	C a β
A b α	B b α	C b α
A b β	B b β	C b β

Τρόποις ita constitutis, in verbis *ὥστε δώδεκα οἱ τρόποι γίνονται χωρὶς τῶν δύο συνδυασμῶν* illos *συνδυασμοὺς* intellexit de his formis sex:

A a γ	B a γ	C a γ
A b γ	B b γ	C b γ

ob eamque causam numerum *δύο* eiiciendum esse dixit. Quem defendere conatus quidem est Stahrius: «Etenim *δύο συνδυασμοὶ* oriantur necesse est, quattuor illis *τρόποις* unius cuiusque *διαφορᾶς* ita inter se coniunctis et copulatis, ut utrique addatur *τὰ μὲν αἱρέσει τὰ δὲ κλήρῳ* Velut *πάντες ἐκ πάντων τὰ μὲν αἱρέσει τὰ δὲ κλήρῳ* et sic deinceps.» At vero inde existant necesse est non *συνδυασμοὶ* II, sed IX. — Sed examinemus omnia Aristotelis verba:

ἢ γὰρ πάντες ἐκ πάντων αἱρέσει = A a α.
ἢ πάντες ἐκ πάντων κλήρῳ = A a β.

Quae adduntur verba *καὶ ἢ ἐξ ἁπάντων ἢ ὡς ἀνὰ μέρος οἷον κατὰ φυλὰς καὶ δήμους καὶ φρατρίας, ἕως ἂν διέλθῃ διὰ πάντων τῶν πολιτῶν ἢ ἀεὶ ἐξ ἁπάντων* non novas ea indicant formas, sed ad eas referenda sunt quae ante commemoratae sunt, A a α et A a β. cf. huius libri cap. XIV. Sequuntur:

καὶ τὰ μὲν οὕτω τὰ δὲ ἐκείνως h. e. *τὰ μὲν αἱρέσει τὰ δὲ κλήρῳ*, quibus verbis significantur formae duae:

πάντες ἐκ πάντων τὰ μὲν αἱρέσει τὰ δὲ κλήρῳ = A a γ.

πάντες ἐκ τινῶν τὰ μὲν αἱρέσει τὰ δὲ κλήρῳ = A b γ.

Deinceps dinumerantur ei quidem *τρόποι*, in quibus omnibus est B: *Πάλιν εἰ τινὲς οἱ καθιστάντες ἢ ἐκ πάντων αἱρέσει* = B a α.

ἢ ἐκ πάντων κλήρῳ = B a β.

ἢ ἐκ τινῶν αἱρέσει = B b α.

ἢ ἐκ τινῶν κλήρῳ = B b β.

Iam adiunguntur: *ἢ τὰ μὲν οὕτω τὰ δὲ ἐκείνως λέγω δὲ τὰ μὲν ἐκ πάντων αἱρέσει τὰ δὲ κλήρῳ.* = B a γ.

At vero hoc loco duo afferendi erant *τρόποι*, B a γ et B b γ; nominatim autem non duo allati sunt, sed unus, B a γ. Quae quum ita sint, aut intelligendus est *τρόπος* alter, aut adscribendus; ita: *λέγω δὲ τὰ μὲν ἐκ πάντων αἱρέσει τὰ δὲ κλήρῳ καὶ τὰ μὲν ἐκ τινῶν αἱρέσει τὰ δὲ κλήρῳ.*

Proponuntur igitur formae sex quae pertinent ad B. Quibuscum si eas contulerimus quibus inest A.,

B a α.	A a α.
B a β.	A a β.
B b α.	
B b β.	
B a γ.	A a γ.
B b γ.	A b γ.

videbimus, duas quae in medio positae erant deesse formas:

A b α = *πάντες ἐκ τινῶν αἱρέσει*,

A b β = *πάντες ἐκ τινῶν κλήρῳ*.

Quas quidem post verba *ἢ ἀεὶ ἐξ ἁπάντων* interponendas esse, recte coniecit Conringius. — Quod qui concedit, idem etiam concedat necesse est, non quattuor utriusque *διαφορᾶς* sed sex esse *τρόπους*; ergo ita scribendum: *τούτων δ' ἑκάστης ἔσονται τῆς διαφορᾶς τρόποι ἕξ.*

Iam pervenimus ad verba ultima: *ὥστε δώδεκα οἱ τρόποι γίνονται χωρὶς τῶν δύο συνδυασμῶν*, quae illam quidem meam coniecturam mirifice confirmant. Sed explicentur oportet. Quamvis enim alii ea aliter interpretati sint, tamen recte, quod sciam, nemo unus. *Συνδυασμοὺς* igitur significare eas quidem formas quae sint compositae (*πάλιν ταῦτα συνδυαζόμενα*), perspicuum est. Quomodo igitur accipienda sunt verba *χωρὶς τῶν δύο συνδυασμῶν*? Videamus. Tres omnino enumerantur *συνδυασμοί*, C, c, γ. Quorum unum quidem solum (γ.) ad componendas XII. illas formas adhibuit:

A a α.	**B a** α.
A a β.	**B a** β.
A b α.	**B b** α.
A b β.	**B b** β.
A a γ.	**B a** γ.
A b γ.	**B b** γ.

Duobus vero *συνδυασμοῖν* **(C et c.) usus non est. Quare Aristoteles recte:** *ὥστε δώδεκα οἱ τρόποι χωρὶς τῶν δύο συνδυασμῶν.* **Ita igitur scribendum est:**

Τούτων δ' ἑκάστης ἔσονται τῆς διαφορᾶς τρόποι ἕξ. Ἢ γὰρ πάντες ἐκ πάντων αἱρέσει, ἢ πάντες ἐκ πάντων κλήρῳ (καὶ ἢ ἐξ ἁπάντων ἢ ὡς ἀνὰ μέρος, οἷον κατὰ φυλὰς καὶ δήμους καὶ φρατρίας, ἕως ἂν διέλθῃ διὰ πάντων τῶν πολιτῶν, ἢ ἀεὶ ἐξ ἁπάντων), ἢ πάντες ἐκ τινῶν αἱρέσει, ἢ πάντες ἐκ τινῶν κλήρῳ, καὶ τὰ μὲν οὕτω τὰ δὲ ἐκείνως. Πάλιν εἰ τινὲς οἱ καθιστάντες, ἢ ἐκ πάντων αἱρέσει, ἢ ἐκ πάντων κλήρῳ, ἢ ἐκ τινῶν αἱρέσει, ἢ ἐκ τινῶν κλήρῳ, ἢ τὰ μὲν οὕτω τὰ δ' ἐκείνως (λέγω δὲ τὰ μὲν ἐκ πάντων αἱρέσει τὰ δὲ κλήρῳ καὶ τὰ μεν ἐκ τινῶν αἱρέσει τὰ δὲ κλήρῳ). Ὥστε δώδεκα οἱ τρόποι γίνονται χωρὶς τῶν δύο συνδυασμῶν.

VITA.

Natus sum Forstae, huius saeculi anno vicesimo quinto, patre Joanne Leonardo, matre Ioanna Maria e gente Birkenia. Litterarum eruditus elementis, inde ab aetatis anno duodecimo scholam in qua ad vitae usum pueri instituuntur Aquisgranensem per duos, Gymnasium dein per sex frequentavi annos. A. CIↃIↃCCCXLV. ad hanc Academiam migravi, ut theologicis me studiis darem et philologicis. In philologia autem ut studium multamque operam ponerem, effecerunt Guil. Reinkenius parochus Bonnensis et J. Reinkenius theol. doct., sanguine cognati, amore alter pater, germanus alter. Itaque interfui per biennium seminarii philologici exercitationibus; audivi, praeter Dieringerum, Hilgersium, Martinum, Scholzium, Vogelsangium theologos, philosophos Brandisium, Knoodtium, Ritschelium, Schopenium, Welckerum. Viris his omnibus, quorum quidem comitati, benignitati, bonitati quantum debeam, dicere paucis nequeo, gratias ago quam possum maximas. De Academia in Seminarium quod Coloniae est discessi. Suscepto presbyteratus ordine, Marcoduri unum annum Vicarii munere perfunctus sum. —

THEMATA.

I. *Philologiam recte intellectam qui spernunt, veri theologi esse nequeunt.*

II. *Eustachianae quam vocant medici tubae inveniendae princeps nec Eustachius nec Ingrassius.*

III. *Herodt. I. 179.* διὰ τριήκοντα δόμων πλίνθου ταρσοὺς καλάμων διαστοιβάζοντες: *quid sibi velint* οἱ ταρσοὶ καλάμων, *nondum explicatum est.*

IV. *Herodt. II. 137.* μάλιστα ἡ ἐν (μὲν) Βουβάστι πόλις (πόλι) ἐξεχώσθη: *neutris in codicibus verba leguntur integra.*

V. *Herodt. IV. 36.* οὐδένα νόον ἔχοντας ἐξηγησάμενον: *non temere coniecturis tentatum est verbum* ἔχοντας.

VI. *Plat. Symp. 172. A.* παίζων ἅμα τῇ κλήσει, Ὁ Φαληρεύς, ἔφη, οὗτος Ἀπολλόδωρος, οὐ περιμενεῖς; *quod iocantem prodat, id quid sit, nondum quisquam recte explicavit.*

VII. *Aristot. Rhet. II. 12.* Τὰ δὲ ἤθη ποῖοί τινες κατὰ τὰ πάθη καὶ τὰς ἕξεις καὶ τὰς ἡλικίας καὶ τὰς τύχας, διέλθωμεν μετὰ ταῦτα.: *scribendum est* καὶ τὰ πάθη καὶ τὰς ἕξεις κατὰ τὰς ἡλικίας.

VIII. *Aristot. Rhet. II. 20.* οἳ ὑμῖν ἀναλώσουσι τὰ κοινὰ κλέπτοντες: *scribendum est* λοιπά.

IX. *Aristot. Eth. Nic. VI. 2.* καὶ οὐ τέλος ἁπλῶς ἀλλὰ πρός τι καὶ τινὸς τὸ ποιητόν: *scribendum est* καὶ ἕνεκά τινος τὸ ποιητόν.

Aristot. Eth. Nic. VI. 13. Εἰ δὲ μὴ τούτων χάριν

[illegible] ἀλλὰ [illegible] [illegible] ἂν εἴη χρήσιμος: [illegible] [illegible]

Eth. Eud. I. 5. οὐ γάρ εἰσι πολιτικοὶ κατὰ τὴν ἀλήθειαν: *corr.* κατ' ἀλήθειαν.

Eth. Eud. I. 8. τὸ αἴτιον τῇ παρουσίᾳ τοῖς ἄλλοις τοῦ ἀγαθὸν εἶναι: *corr.* ἀγαθοῖς.

Eth. Eud. I. 8. ἕκαστον γὰρ ἰδίου ἀγαθοῦ ὀρέγεται. ὀφθαλμοὺς ὄψεως, σῶμα ὑγιείας, οὕτως ἄλλο ἄλλου: *corr.* ὀφθαλμός.

X. *LXX. IV. Reg. XXV. 5. et 11. et Iudith. VI. 4:* *pro* κατακαύσομεν *substituendum est* καταπαύσομεν.

XI. *Apud S. Hieronymum in interpretatione libri Iudith. XVI. 7. pro* nocuit *scribendum est* necuit, *pro* confodit confudit.

XII. *Qui cur sint animi immortales, argumenta requirunt, qui vero, nullis afferendis argumentis, aeternitatem postulant naturae, mire ei quidem sibi et belle constant.*